

Ad quintum respondet Petrus (ibid.), quod « impugnatio rationis non valet : quia illa determinatio, *Quod pro vobis tradetur*, non ponitur in forma, licet ponatur in historia Evangelii; alia vero ponitur in forma plus quam in historia; quia nec intentio Evangelistarum sicut ponere formas sacramentorum, sed magis historias dictorum et factorum Christi »). — Haec Petrus (6), et conformiter dictis Beati Thomae, 3 p., q. 78, art. 3, in solutione noni, ubi sic dicit : « Evangelista non intendebant tradere formas sacramentorum, quas in primitiva Ecclesia oportebat esse occultas, ut dicit Dionysius in fine *Ecclesiastice Hierarchie*; sed intenderunt de Christo historiam texere, etc. » Simile dicit, secunda quæstione hujus distinctionis, art. 2, q^a 1, in solutione primi argumenti.

Ad sextum respondet Petrus (ibid.), quod « impugnatio illa non valet. Quia non omnia que pertinent ad ritum, sunt de essentia; sed illa sola que significant illa que ad essentiam pertinent sacramenti, vel ex parte subjecti, vel ex parte predicatori, et sub eodem rite proficeruntur. De talibus intelligitur major, de quibus est illud, *Novi et aeterni testamenti*, etc. — Quod autem dicit Magister in littera, et Ambrosius, *de Consecratione*, dist. 2, can. *Panis est in altari*, quod illis verbis conficitur (et can. *Quia corpus*, dist. 2, *de Cons.*), et reliqua pertinent ad laudes et orationes, — referendum est ad reliqua que non sunt pars illius orationis qua sit consecratio ». — Et haec Petrus, et bene.

II. Ad argumenta Aureoli. — Ad primum et secundum Aureoli, patet responsio ex dictis ad secundum Durandi. Nam illam determinationem, *Quod pro vobis tradetur*, non addidit Christus in forma consecrationis panis, sicut illam, *Novi et aeterni*, etc., addidit in forma consecrationis vini. — De forma vero Graecorum, satis dictum est in solutione tertii Durandi.

III. Ad argumentum aliquorum. — Ad argumentum aliquorum, dicitur quod forma verborum est de essentia consécrationis sacramenti, non autem de essentia sacramenti consecrati et completi. Hoc enim sacramentum differt ab aliis : quia alia consistunt in quadam successione, et factione, et receptione, et applicatione (z) materie exterioris ad hominem, et ideo forma verborum in illis est de essentia sacramenti; sed hoc sacramentum consistit in consecratione materie, non quidem activa, sed passiva; unde differt ab aliis, sicut permanens a successivis. Propter quod non oportet formam ver-

borum esse de essentia hujus sacramenti, sed de essentia consecrationis active sacramenti; quia, transeunte forma, manet integrum sacramentum quandom species sacramentales manent. Vel, si concedatur quod forma est aliquo modo de essentia sacramenti, hoc intelligendum est quoad fieri, non quoad factum esse.

Ad argumentum contra conclusionem, respondet sanctus Thomas, 3 p., q. 78, art. 1, in solutione quarti : « Quidam, inquit, dixerunt hoc sacramentum perfici non posse predictis verbis prolatis, et aliis praetermissis, præcipue que sunt in canone misse. Sed hoc patet esse falsum, tum ex verbis Ambrosii predictis (z), tum etiam quia canon missæ non est idem apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diversa sunt a diversis apposita. Unde dicendum est quod, si sacerdos sola verba predicta proferret, et cum intentione consecrandi hoc sacramentum, perficeretur hoc sacramentum; quia intentio faceret ut haec verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolati, etiamsi verbis praecedentibus hoc non recitaretur. Graviter tamen peccaret sacerdos sic conficiens hoc sacramentum, utpote ritum Ecclesie non servans. Nec est simile de baptismo; quod est sacramentum necessitatis. Defectum autem hujus sacramenti potest supplere spiritualis manducatio, ut Augustinus dicit (in Joannem, tract. 26). » — Haec ille.

Et haec de questione sufficient. De ipia benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIO X.

QUÆSTIO I.

UTRUM CORPUS CHRISTI SIT IN ALTARI,
VEL EUCHARISTIE SACRAMENTO, REALITER

SIRCA DECIMAM DISTINCTIONEM 4. *Sententia* 4. *Utrum corpus Christi sit in altari, vel Eucharistie Sacramento, realiter*.

Et arguitur quod non. Quia nullum corpus potest esse in diversis locis. Sed corpus Christi est vere in celo, quo ascendit. Ergo impossibile est quod sit in altari. Probatio prima : quia nihil habet esse extra terminos suos; sed termini cuiuslibet corporis locati, sunt simul cum terminis corporis locantis; ergo nullum corpus locatum in uno loco, potest

(x) *dictorum et factorum Christi*, — *doctorum et sanctorum* Pr.

(y) *Hæc Petrus*. — Om. Pr.

(z) *applicatione*, — *ampliatione* Pr.

(z) Cfr. argum. in oppositum, initio questionis.

esse extra terminos illius loci; et ita non potest simul esse in duobus locis.

In oppositum arguitur. Quia veritas novi testamenti debet respondere figuris veteris testamenti. Sed, in veteri testamento, ipse agnus, qui figurabat Christum, sumebatur in cibum, ut patet, *Exodi* 12. Ergo, in nova lege; ipsum verum corpus Christi, quod per agnum significatur, debet manducari.

In hae questione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutions.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: Quod verum corpus Christi est in Sacramento Eucharistie secundum veritatem, et non solum sicut in signo, vel secundum solam figuram.

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 75, art. 1, ubi sic dicit: « Verum corpus Christi et sanguinem esse in hoc sacramento, neque sensu, neque ratione deprehendi potest, sed sola fide tenetur, que divinae auctoritati innititur. Unde, super illud *Luce* 22 (v. 19), *Hoc est corpus meum*, etc., dicit Cyrilus: *Non dubites an hoc sit verum; sed potius suscipe verba Salvatoris in fide; cum enim sit veritas, non nientitur.* Hoc autem conveniens est, *primo* quidem perfectioni novae legis. Sacrificia enim veteris legis illud verum sacrificium passionis Christi continebant solum in figura, secundum illud *Hebraeor.* 10 (v. 4): *Umbram habet lex futuronrum bonorum, non ipsam rerum imaginem.* Et ideo oportuit ut aliquid plus haberet sacrificium novae legis a Christo institutum, ut scilicet contineret ipsum Christum passum, non solum in signo vel figura, sed etiam in rei veritate. Et ideo ipsum sacramentum, quod ipsum Christum realiter continet, ut dicit Dionysius, 3 cap. *Ecclesiasticae Hierarchiae*, est perfectissimum omnium sacramentorum aliorum, in quibus virtus Christi participatur. *Secundo* hoc competit charitati Christi, ex qua pro salute nostra corpus verum nature nostrae assumpsit. Et quia maxime proprium est amicis convivere, prout dicit Philosophus, 9. *Ethicorum* (cap. 12), sui presentiam corporalem nobis repromittit in praemium, Matth. 24 (v. 28): *Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquila.* Interim tamen nec ~~sua~~ presentia corporali nos (α) in hac peregrinatione

destituit; sed per veritatem (α) corporis et sanguinis sui nos sibi conjungit in hoc sacramento. Unde ipse dicit, *Joan.* 6 (v. 57): *Qui manducat carnem meam, et babit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo.* Unde hoc sacramentum est maxima charitatis signum, et nostre spei sublevamentum; ex tam familiari conjunctione Christi ad nos. *Tertio* hoc competit fidei perfectioni, que, sicut est de divinitate Christi, ita est de ejus humanitate, secundum illud *Joan.* 44 (v. 1): *Creditis in Deum, et in me credite.* Et quia fides est invisibilium, sicut divinitatem suam nobis exhibet Christus invisibiliter, ita et in hoc sacramento carnem suam nobis exhibet invisibili modo. Quae quidam non attendentes, posuerunt corpus Christi et sanguinem non esse in sacramento nisi sicut in signo; quod est tanquam haereticum abjiciendum, utpote verbis Christi contrarium. Unde et Berengarius, qui primus inventor hujus erroris fuerat, postea coactus est suum errorem revocare, et veritatem fidei confiteri. » — Haec ille.

Item, 4. *Sentent.*, dist. 40, q. 1, art. 1, sic dicit: « Sub Sacramento Altaris continetur verum corpus Christi, quod de Virgine traxit. Et contrarium dicere, est haereticum; quia derogat veritati Scripture, qua Dominus dicit (Matth. 26, v. 26; Marc. 14, v. 22; Luc. 22, v. 19): *Hoc est corpus meum.* Ratio autem quare oportet quod Christus in hoc sacramento contineatur, est quia non ita perfecte nobis Christus conjungeretur, si sola illa sacramenta haberemus, in quibus conjungitur nobis Christus per virtutem suam in illis sacramentis participatam; et ideo oportet esse aliquod sacramentum, in (6) quo Christus non participative, sed per suam essentiam, contineatur, ut sit perfecta conjunctione capitum ad membra. Consequuntur etiam multae aliae utilitates: sicut est ostensio maximae charitatis in hoc quod seipsum dat nobis in cibum; et sublevatio spei, ex tam familiari conjunctione ad ipsum; et maximum meritum fidei, in hoc quod in hoc sacramento ereduntur multa, quae non solum sunt preter rationem, sed etiam contra sensum, ut videtur; et multe aliae utilitates, quae sufficienter explicari non possunt. » — Haec ille.

Ex quibus possunt formari multae rationes pro conclusione. Prima: quia conclusio competit perfectioni novae legis, perfectioni charitatis Christi, perfectionique fidei et spei nostrae. Secunda: quia hoc competit perfectae conjunctioni capitum ad membra. Tertia: quia oppositum conclusionis derogat omnibus supradictis, et insuper est condemnatum tanquam haereticum.

Secunda conclusio est quod verum corpus Christi, per hoc quod incepit esse realiter in sacramento

(α) *veritatem.* — *virtutem* Pr.

(6) *in.* — Om. Pr.

In terris, non desinit esse realiter in cœlis;
immò simul est in cœlo localiter, et in terra
vel altari sacramentaliter, et in diversis locis
et altariis in terra simul.

Hanc ponit sanctus Thomas, in *Quarto*, ubi supra (dist. 10, q. 1, art. 4), in solutione quinti, ubi sic dicit : « Nullum corpus comparatur ad locum, nisi mediantibus dimensionibus quantitatibus; et ideo ibi est aliquid corpus ut in loco, ubi commensurantur dimensiones ejus dimensionibus loci. Et, secundum hoc, corpus Christi non est nisi in uno loco tantum, scilicet in cœlo. Sed quia substantia panis conversa est in corpus Christi, que prius erat in hoc loco determinato mediantibus dimensionibus suis, que manent transsubstantiatione facta; ideo manet locus, non quidem immediate habens ordinem ad corpus Christi secundum proprias dimensiones, sed secundum dimensiones panis remanentes, sub quibus succedit corpus Christi substantiae panis. Et ideo non est hic ut in loco, per se loquendo, sed ut in sacramento, non solum significante, sed continente ipsum ex vi conversionis factæ. Et sic patet quod corpus Christi non est extra terminos sui loci per illum modum per quem convenit ei esse aliquibi, vel esse extra aliquid, ex dimensionibus propriis. Esse, autem aliquibi per commensurationem propriarum dimensionum, est per se esse aliquibi; et similiter, esse extra aliquid secundum situm propriarum dimensionum, est esse extra aliquid per se. Sed corpus Christi est extra terminos loci qui competit ei secundum proprias dimensiones, quasi per accidens. Et hoc modo est sub sacramento; quia competit ei esse aliquibi ratione illarum dimensionum que remanserunt ex illo corpore quod conversum est in corpus Christi. » — Hoc ille.

Simile dicit, 3 p., q. 75, art. 1, in solutione tertii, ubi sic dicit : « Corpus Christi non est eo modo in sacramento, sicut corpus in loco, quod suis dimensionibus loco commensuratur; sed quodam speciali modo, qui est proprius huius sacramento. Unde non dicimus quod corpus Christi est in diversis altariis sicut in diversis locis, sed sicut in sacramento, etc. »

Item, art. 2, sic dicit : « Corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per motum localēm. Primo quidem, quia sequeretur quod desineret esse in cœlo : non enim quod movetur localiter, pervenit de novo ad aliquem locum, nisi deserat priorem. Secundo, quia omne corpus localiter motum pertransit omnia media; quod hic dicit non potest. Tertio, quia impossibile est quod unus motus ejusdem corporis localiter moti terminetur simul ad diversa loca, cum tamen in pluribus locis corpus Christi sub hoc sacramento esse simul incipiat, etc. » — Hoc ille.

Ex quibus potest formari pro conclusione talis ratio : Ea que nullam important contradictionem, oppositionem, aut quancumque repugnantiam, vel incompossibilitatem circa idem subjectum, si possunt (x) eidem successive inesse, et similiter possunt eidem simul inesse, saltem per Dei potentiam. Sed esse in diversis locis, in uno per se, et in aliо per accidens, se habent hoc modo circa Christi corpus. Ergo possunt simul inesse corpori Christi.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II.

PONUNTUR OBJECTIONES

§ 1. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

I. **Argumenta Durandi.** — Quantum ad secundum articulum, argendum est contra conclusiones. Et quidem, contra primam arguit Durandus (dist. 11, q. 1), probando quod corpus Christi non sit in hoc sacramento tanquam contentum, sed solum tanquam praesens. Dicit enim sic : Refert aliquid esse praesens alteri, et esse in altero; et, ut loquamus in proposito, refert aliquid esse in loco, et esse praesens loco. Esse enim in loco importat habitudinem continentiae ex parte loci; esse autem praesens loco non importat habitudinem continentiae, sed solum realem exhibitionem essentiae. Unde et locus est praesens realiter locato, sicut e converso; quamvis locus non confinatur a locato, sed e converso. Et quamvis, proprie loquendo, ita sit, ut dictum est; tamen, large loquendo, consuevit dici omne illud esse in loco, quod est praesens loco. Unde et Deum dicimus esse in omni loco, et angelum in aliquo; cum tamen Deus et angelus loco non confinantur. Et, secundum hoc, dicere possumus quod aliquid est in loco dupliciter: scilicet proprie, ratione continentiae; vel large, ratione solius praesentiae ad locum. Primo modo aliquid potest esse in loco dupliciter: scilicet circumscriptive, ut quantitas et ea que quantitate extenduntur; et diffinitive, ut ea que sunt in quanto, sed quantitate non extenduntur; sicut ponitur de anima humana; ex quo enim corpus, cuius anima est actus, loco terminatur et finitur tanquam termino et fine extrinsecō, consequens est quod anima eodem termino finiatur, sed non circumscriptatur, quia non est quanta, nec secundum se, nec secundum accidens. Large vero aliquid dicitur esse in loco, ratione solius praesentiae ad locum; sicut illud quod nec est quantum, nec est in quanto, ut angelus, dicitur esse in loco, ratione solius ordinis quem habet ad locum vel ad corpus existens in loco. His suppositis, dicendum

(x) possunt. — possint Pr.

est quod corpus Christi non est in hoc sacramento primo modo, scilicet circumscriptive; nec secundo modo, scilicet diffinitive; sed tertio modo. Primum patet: quia illud est alieni circumscriptive, quod commensuratur loco continenti, et configuratur ei; sed corpus Christi non commensuratur nec configuratur dimensionibus specierum panis et vini, nec loco eorum; ergo non est ibi circumscriptive. Secundum patet: quia corpus Christi non est in speciebus sacramentalibus, nec in aliquo alio, subjective, quemadmodum anima est in corpore, ut per illud possit dici corpus esse diffinitive in sacramento, quemadmodum anima est diffinitive in loco in quo corpus animatum est circumscriptive. — Hec ille.

Ex predictis itaque vult deducere quod inconveniente dicatur corpus Christi esse in hoc sacramento tanquam contentum in sacramento vel in loco sacramenti: quia omne quod continetur loco, oportet quod circumscribat vel diffiniatur loco vel corpore existente in loco; quorum neutrum convenit corpori Christi prout est in sacramento. Sed solum dicitur esse in sacramento per presentiam essentiae sive, eo modo quo substantia non quanta, puta angelus, dicitur esse in corpore quod potest ab eo moveri per talam presentiam, et respectu presentie ad tale corpus, sive quacunque continentia a tali corpore. Et ad hoc inducit aliquas probationes, quas non recito, quia non sunt proprie contra conclusionem.

II. Argumenta Aureoli. — Contra eandem conclusionem arguit econtra Aureolus (dist. 10, q. 1, art. 1), immo verius contra Durandum, proibundo quod presentialitas quam habet corpus Christi ad species, non sit ordo aut respectus.

Primo sic. Nullam habitudinem habet nunc corpus Christi ad species; quam non haberet prius substantia panis ad illas, dum ibi erat praesens. Licit enim non omnem habitudinem quam habebat panis ante transubstantiationem ad species, habeat nunc corpus Christi post transubstantiationem (quia non habitudinem subjecti ad accidentis, vel extensi ad extensionem); tamen econtra, verum est dicere quod omnem habitudinem quam habet corpus Christi ad species post transubstantiationem, habuit panis ante transubstantiationem. Et hoc potest confirmari per hoc quod fide tenemus, quod corpus Christi est hic per hoc quod panis convertitur in ipsum; ergo corporis Christi, virtute illius conversionis, acquisivit habitudinem ad species, quam habuit prius panis. Et circa istud fundatur tota intentio antiquorum doctorum. Sed panis, ante conversionem, non habuit ad species aliquem respectum extrinsecus advenientem. Non enim panis, mediante aliquo respectu, erat praesens illis speciebus; eo quod inter accidentis et subjectum nullus cadit respectus medius. Quod patet: quia ea que

per se uniuntur, non uniuntur mediante aliquo respectu; sed subjectum et accidentis per se uniuertur. Patet, 8. *Metaphysicae* (t. c. 15), ubi dicitur quod nulla causa querenda est quare figura et es faciunt unum; de omni autem eo quod cum alio, mediante aliquo respectu tertio, facit unum, contingit causam querere quare cum isto facit unum. Cum ergo panis nullum tam respectum fundaret in ordine ad species, ergo nec corpus Christi nunc fundat tam respectum.

Secundo sic. Illud quod proprius et per se, non denominative, respondet ad interrogationem factam per *quid est hoc?*, demonstratis speciebus, illud non habet tantum ad species respectum presentialitatis extrinsecus advenientem. Probatur: nam de angelo qui habebat tam respectum ad columnam nubis, non poterat responderi, demonstrata columna, ad interrogationem factam per *quid est hoc?*, proprio, nisi tantum denominative; puta quia erat ab angelo nata, vel hujusmodi. Sed, secundum doctrinam sanctorum, et verbum Christi, demonstrato eo quod sacerdos tenet in manibus, et facta interrogatione, *quid est hoc?* respondetur proprio, et non tantum denominative: *Corpus Christi*. Ergo habet ad species aliam habitudinem quam respectum presentialitatis. Major probata est; et patet per exemplum de columna, qua demonstrata, non poterat responderi quod esset angelus, vel *Spiritus Sanctus*. Minor probatur auctoritate Augustini, in libro *Sententiarum Prospere* (2); et similiter, *de Consecratione*,

(2) Aureolus alludit canoni 41, dist. 2, *de Consecr.*, quem Gratianus dixit esse dejiromptum ex Augustino (lib. *Sententiarum Prospere*); et sic se habet (juxta editionem romanam): *Nos autem in specie panis et vini, quam videmus, res invisibles, id est, Christi carnem et sanguinem honoramus; nec similiter comprehendimus has duas species, ex quibus consecratur dominicum corpus, quemadmodum ante consecrationem comprehendebamus: cum fideliter fateamur, ante consecrationem panem esse et vinum, quod natura formavit; post consecrationem vero Christi carnem et sanguinem, quod benedictio consecravit. Reversum tale reperitur in libro *Sententiarum Prospere*. Canon iste potius desumitur ex operibus Lanfranci; qui, in libro *de Corpore et sanguine Domini*, cap. 43, Berengario objectanti haec verba Augustini (*de Catechizandis rudibus*, cap. 26), *Signacula quidem rerum divinarum sunt visibilia, sed res invisibles in eis honorantur, nec sic habenda est species benedictione sanctificata, quemadmodum habetur in usu quolibet*, respondet: *Illud quod ex libro de Catechizandis rudibus assumpsisti, quid tue parti prosit plene non video; idcirco magis videtur tuam oppugnare sententiam nostrae ferre subsidium: Nos etenim in specie panis et vini quam videmus, res invisibles, id est, Christi carnem et sanguinem honoramus. Nec similiter pendimus has duas species; ex quibus consecratur dominicum corpus, quemadmodum ante consecrationem pendebamus: cum fideliter fateamur ante consecrationem esse panem et vinum, sed est, eas res, quas natura formavit; inter se etiam vero converti in Christi carnem et sanguinem, quas utrasque res benedictio consecravit; Cf. Migne, Pale. lat., vol. 150, col. 422 et seq.; et edit. *Corporis Jur. Canon.* Lipsiens, secund., vol. 1, col. 1328.**

dist. 2, can. *Ante benedictionem*; et in illo can. *Ego Berengarius* (x) (et est confessio sibi tradita a Papa in concilio (y), ubi constetur quod illud quod sacerdos tenet in manibus, est veraciter corpus Christi); et Augustinus, in cap. allegato (z), dicit quod illud quod ante benedictionem fuit panis, est corpus Christi; et Christus in cena dicit (Matth. 26, v. 26): *Accipite et manducate, Hoc scilicet quod teneo, est corpus meum.*

Tertio. Quia respectus presentis extrinsecus adveniens, subest voluntati ipsius presentis, si sit naturae intellectualis: sicut de angelo presente hinc loco; unde potest se mutare de una presentia ad aliam, pro libito voluntatis. Sed presentia quam habet Christus ad species, non subest voluntati ipsius Christi, sed immediate soli divinae voluntati, et in quantum est Deus; unde, in quantum homo, non potest voluntate sua transferre se de presentia quam habet ad species, ad absentiam. Ergo, etc. (2).

Quarto. Quia omnis respectus est aliquid derelictum in aliquo ab alio, secundum auctorem *Sex principiorum*. Et patet inducendo: nam *ubi* est aliquid derelictum ex circumscriptione passiva, et *quando ex adjacentia temporis, habitus* vero ex ornatu. Sed circa corpus Christi non relinquitur aliquid, quod dicatur presentia, nec ornari, nec circumscribi, et hujusmodi. Igitur. — Si dicas quod ille respectus presentiae non est in aliquo sex praedicamentorum; — Contra: Ergo erit dare indecimum praedicamentum. — Dices quod non est inconveniens quod Aristoteles non viderit omnia praedicamenta. — Contra: Ita inconveniens est, quod tu non videoas quod quidquid detur, quod sit dicibile incomplexum, non reducatur ad aliquod decem-generum.

Quinto. Quantitas corporis Christi nullam habet presentiam quae sit respectus ad illas species. Ergo nec substantia corporis Christi. Tenet consequentia: quia uniusformis est connexio substantiae corporis Christi ad species, et omnium concomitantium. Antecedens probatur: Quia presentia quantitatis ad quantitatem non est aliud quam contactus. Quod patet: quia talis presentia est simultas. Tunc sie: Illa simultas, aut est secundum ultima, aut secundum se tota. Et quocunque modo dicas, semper est ibi contactus: eo enim modo quo duae quantitates sunt simul, eo modo se tangunt; impossibile est enim a duabus quantitatibus sibi invicem presentibus circumscribere rationem contactus. Si ergo quantitas corporis Christi haberet talem presentiam ad tales species, esset ibi virtus contactus; et ita esset ibi extensa: — Ille ille, in forma.

Ex quibus videtur quod corpus Christi non sit realiter in Eucharistia, tanquam contentum, nec tanquam praesens speciebus presentia respectiva.

§ 2. — CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

I. Argumenta Scoti. — Contra secundam conclusionem arguit Scotus multipliciter. Et primo (dist. 10, q. 3) vult probare quod modus ponendi quod corpus Christi simul est in celo et in sacramento, vel simul in pluribus locis sacramentaliter, sit inconveniens.

Primo. Quia conversio non est ratio formalis corpori Christi essendi hic. Neque quod sit praesens; quod patet, quia, ipsa conversione transeunle, manet hic corpus Christi. Neque conversio ut praeterita: quia tunc Deus non posset facere corpus suum non esse hic, sicut neque conversionem praeteritam non esse praeteritam. Nec etiam illud quod vocatur sacramentum, scilicet species, sunt formalis ratio corpori Christi essendi hic: quia non sunt formaliter aliquid in corpore Christi, nec per ea potest aliquid inesse corpori Christi. Ex hoc arguitur sie: Deus potest facere in creatura aliquid, sine eo quod non est formalis ratio ei essendi, nec aliquo modo de essentia ejus. Conversio autem, ut ostensum est, non est hujusmodi ratio essendi corpori Christi; nec species. Ergo Deus potest facere corpus Christi esse hic, sine utroque istorum. Quare, etc.

Secundo sie: Non est major repugnancia corpus Christi esse simul cum substantia panis, quam cum quantitate ejus; quia non magis repugnat substantia substantiae, quam quantitas substantiae, quoad talem similitatem. Sed, corpore Christi existente in celo, potest Deus facere idem corpus simul esse cum quantitate panis, secundum omnes. Ergo potest facere idem simul esse cum substantia quanta panis, et, per consequens, sine conversione.

Si etiam illa substantia panis quanta ponatur sacramentum, adhuc est contra te. Quia, ut supra ostensum est, facilius est facere corpus esse alicubi cum suo modo naturali, quam sine illo. Sed cum substantia panis quanta potest Deus facere corpus suum modo sacramentali, id est, non naturali. Ergo et modo naturali. Ergo possibile e-set quod Deus alibi quam in celo ficeret idem corpus sub modo suo naturali sub substantia quanta.

Et si dicas quod relatio non potest esse vel fieri sine proprio termino, sicut nec sine fundamento; proprius autem terminus hujus presentiae est sacramentum, id est, aliquid sensibile replens locum, cum quo et sub quo est corpus Christi, non locutus; — Contra. Non magis est possibile, ut videatur, corpus Christi esse cum isto quam cum alio. Ergo non magis sibi repugnat esse cum substantia panis, quam cum quantitate, ut dictum est. Et sic de quocunque alio a se. Et tunc ultra: si potest

(x) Can. 42, dist. 2, de Cons.

(y) concilio. — consistorio Pr.

(z) Cfr. not. a, pag. prie.

(b) Ergo, etc. Om. Pr.

sieri alibi quam ubi est, sub modo non naturali; ergo et cum vel sub substantia modo naturali. Non enim apparet, si potest fieri idem in diversis locis sacramentaliter, quin possit esse in diversis locis modo naturali; cum in primo sint duo miracula, et in secundo tantum unum. In primo quidem sunt duo miracula: unum, in causando presentiam corporis Christi hic; et aliud, in separando illud a suo modo naturali. Sic ergo, potest esse hic modo naturali, sicut modo non naturali, sub sacramento. — Haec Scotus, in forma.

II. Alia argumenta Scoti. — Ulterius (dist. 10, q. 2) nititur probare quod idem corpus possit esse localiter simul in diversis locis.

Primo, in generali. Quia quodlibet est tenendum Deo possibile, quod nec ex terminis est manifestum esse impossibile, nec ex eo impossibilitas vel contradictione evidenter concluditur. Sic autem est in proposito. Quod patet. Cum enim dico idem corpus esse simul in diversis locis localiter, nihil dico supra corpus, nisi quemdam respectum extrinsecus advenientem, fundatum in uno quanto, ad aliud quantum circumscribens. Talem autem respectum plurificari super idem fundamentum ad diversos terminos, non apparet contra aliquid notum secundum rationem: quia respectus intrinsecus advenientes, de quibus minus videtur, possunt plurificari, manente eodem fundamento; ut supra eamdem albedinem possunt fundari duas similitudines ad duos terminos. Assumptum patet: quia scilicet *ubi* non dicit nisi respectum extrinsecus (α) advenientem, notum est. Et mirum est quod sequentes rationem tantum loquantur secundum imaginationem, quod, quia imaginatio non separat locum a corpore, nec econtra, nec percipit unum plurificari sine alio, ideo dicatur simpliciter impossibile unum plurificari sine alio. Sequendo enim tantum imaginacionem, non apparet aliud. Sed, sequendo rationem, ex rationibus terminorum nulla est necessitas quod, plurificato uno, plurificetur aliud; sicut, plurificato posteriori, non est necesse prius plurificari. Ipsa autem *ubi* sunt manifeste posteriora ipso quanto locato, et accidentaliter et contingenter advenientia. In multis enim aliis, ubi est major connexio, secundum rationem conceditur unum plurificari sine alio. Vix enim est aliqua alia habitudo accidentalior suo fundamento quam sit *ubi*, neque aliquis modus essendi in, neque aliquis modus *ab*, et sic de aliis multis habitudinibus; et tamen in aliis habitudinibus (ϵ) non ita proterve asseritur impossibilitas plurificationis habitudinum circa idem fundatum.

(α) nisi respectum extrinsecus. — respectum intrinsecus Pr.

(ϵ) sic de aliis multis habitudinibus; et tamen in aliis habitudinibus. — de aliis habitudinibus Pr.

Et si dicas quod verum est quod plures respectus possunt fundari in eodem fundamento; quando unus eorum non adaequat totum fundamentum; hic autem unum *ubi* adaequat totam rationem quanti, inquantum est locale; — hoc videtur esse dictum sine ratione. Quia respectus qui oritur ex natura fundamenti, magis videtur adaequare fundamento, quam ille qui oritur extrinsecus, ceteris paribus. Sed ad duos possunt esse in eodem fundamento duo tales respectus orientes ex natura fundamenti, ut duæ aequalitates ad duo quanta aequalia. Ergo sine ratione singitur quod hic unus respectus adaequat. — Confirmatur: Quia non magis adaequat quantitatem suam praesentia ad locum, quam adaequat substantiam sua praesentia sibi conveniens (α). Sed nulla praesentia in altari adaequat substantiam: quia substantia potest habere plures presentias, etiam primo, cum sit primus terminus multarum conversionum in altaris; et cum hoc tamen est praesens in celo sub suo modo quantitativo.

Secundo arguitur principaliter. Non minus inconveniens videtur duo corpora esse simul, quam idem corpus esse simul in duobus locis. Sed Deo est possibile primum. Ergo et secundum. Major patet: Quia, secundum principia sua, philosophi ponerent omnino repugnantiam inter duo quanta respectu ejusdem *ubi*, sicut inter album et nigrum respectu ejusdem subjecti, sicut patet, *4. Physicorum*, cap. *de Vacuo* (t. c. 76), quia quantum eo quod quantum expellit aliud ejusdem quantitatis, non, quia tale vel tale; et exemplificat de cubo. Minor patet de facto per dotem subtilitatis in nativitate Christi; similiter Christus intravit ad discipulos, januis clausis, et de sepulchro clauso exiit.

Dicetur forte, quod duæ dimensiones repugnant propter situm localem; et hoc tollit dos subtilitatis. Sed illud quod est ratio limitationis ad unum *ubi*, sicut situs determinatus, non potest tolli per aliquod donum vel dotem: quia etiam corpus gloriosum habet situm determinatum, quo oportet ipsum ita esse hic quod non alibi; licet non habeat situm localem, quo resistat alteri corpori. — Sed contra hoc arguitur. Quia: aut unum corpus esse in diversis locis est impossibile, quia oportet locatum multiplicari cum multiplicatione locorum, quia commensuratur loco; aut propter aliam rationem aliquam specialem. Si propter primum, cum æque oportuerit loca commensurari locatis, sicut econtra, quia talis respectus est communis, tunc sequitur quod ad multiplicationem locatorum sequitur multiplicatio locorum; et tunc æque impossibile est duo corpora esse in eodem loco, sicut unum in diversis. Si vero propter aliquid aliud, hoc non potest esse nisi posterioritas (ϵ) naturalis, vel natu-

(α) substantiam sua praesentia sibi conveniens. — Substantia in sua praesentia sibi convenienti Pr.

(ϵ) posterioritas. — posterioritas Pr.

ralis simultas loci respectu dimensionis locatæ. Nam prius naturaliter non oportet commultipli-
 cari (a) posteriori, sed posterius priori, et simul ei-
 cum quo est simul. Et si ista est ratio, manifestum
 est quod dimensiones loci sunt posteriores dimensionibus locati. Ergo magis oportet dimensiones loci multiplicari ad multiplicationem dimensionum locati, quam econtra. Assumptum patet. Tum quia dimensiones locati sunt causa dimensionum loci; quia locatum facit latera continentis (z) distare, et superficiem ejus esse in actu. Tum quia prius est quod potest esse sine alio, et non econtra; dimensiones autem corporis locati possunt esse sine dimensionibus loci (quod patet de superficie primi cœli); non autem econtra, quia superficies locantis non possunt distare absque distantia partium locati. Et patet per aliud: quia, in quocumque motu locali, manet eadem superficies locati, non autem loci; immo, communiter, mutatur superficies loci, mutato locato; etiam, si corpus æquale succedit æquali et similiter figurato, non manet eadem superficies priori circumscribens corpus secundum. Et ideo ratio potest sic formari; ad probandum istam consequiam: Duo corpora possunt simul esse in eodem loco; ergo idem corpus in diversis locis simul. Antecedens conceditur ab omnibus. Probatur consequentia: quia magis possibile est simul cum unitate prioris naturaliter stare multititudinem posterioris naturaliter, quam econtra; dimensio autem locati est prior dimensione loci, ut nunc probatum est; ergo, similiter, magis possibile est uni corpori locato correspondere plures dimensiones locorum, quam econtra.

Tertio arguitur sic principaliter. Possibile est quod Deus convertat quantitatem in quantitatem, sicut convertit substantiam in substantiam. Hoc posito, cum, secundum te, illud in quod aliquid converlitur, sit ubi prius erat aliud conversum in ipsum, sequitur tunc quod corpus in quod sit conversio, sit ubi prius fuit illud quod convertitur; et non potest esse secundum suam quantitatem in aliquo loco, ita quod quantitas sit ei ratio essendi ibi, sicut esset si esset per se terminus conversionis, nisi sit ibi localiter, secundum te. Ergo idem corpus erit localiter ubi prius localiter fuerit aliud conversum. Et, cum hoc, manet in proprio loco; quia conversio non transfert terminum in quem est a loco suo. Ergo potest esse simul localiter in duobus locis.

Dicetur forte, quod aut substantia panis manet in tali conversione: et tunc, vel afficitur dimensionibus corporis Christi, et non sequitur propositum, quod corpus Christi sit dimensionis in duobus locis, sed tantum in uno; aut non afficitur substantia

panis illis dimensionibus corporis Christi, et tunc corpus Christi non est ubi substantia panis, nisi ratione substantiae panis, et, per consequens, non dimensionis, quia, secundum Philosophum, 1: Physicorum (t. c. 15), substantia nullam habet magnitudinem; et sic non erit ibi localiter in duobus locis. Aut omnino totum convertitur in totum; et tunc nihil manet, ratione cuius corpus Christi dicitur esse in loco illius conversi. Et ideo hoc ultimum non est ponendum: quia non esset alicubi sacramentaliter, quia sub nulla specie sensibili; et non est alicubi aliter quam sacramentaliter, nisi in cœlo. Et, propter hoc, cum corpus Christi non esset ibi dimensionaliter, non impleret locum quem prius impleverunt dimensiones panis; et ita non remaneret illa capacitas, sed, in instanti conversionis, partes aeris concurrerent, et desineret esse locus qui prius; et sic per ipsum non maneret ibi corpus Christi, sicut nec modo manet corruptis speciebus panis. Si ergo adhuc maneret, hoc non esset nisi propter substantiam partium aeris, quæ immediate prius tangebant dimensiones panis; et sic semper maneret ibi corpus Christi, quia semper manere possent in eodem subjecto vel situ illæ partes aeris.

Contra istam solutionem ostenditur quod (z) non solvit. Quia convertatur substantia quævis æqualis corpori Christi in corpus Christi quantum; et tunc stat argumentum, quod illud in quod sit conversio, erit quantitative in loco termini conversi, et, cum hoc, in loco proprio, ubi prius. Quando ergo respondetur dividendo, potest dari hoc membrum, quod totum omnino convertitur in totum. Nec sequitur quod terminus conversionis non sit ibi, si nihil maneat; nisi negetur ista propositio, quod terminus conversionis sit ubi prius fuit conversum. Et forte negares eam, nisi cum ista additione, si illud manet, quod fuit in converso ratio locandi. Et tunc istud argumentum non concludit contraria responsem. Nec etiam de aere æquali converso in corpus Christi euro insistere: quia credo quod illa propositio cui innititur ista ratio, sit falsa, scilicet quod oportet terminum conversionis esse ubi prius fuerit conversum, sive maneat (6) illud quod in converso fuit ratio locandi, sive non. Posset famen dari aliud membrum, scilicet quod quantitas aeris converteretur in quantitatem corporis Christi, substantia aeris remanente. Et tunc posset inferri quod corpus Christi esset sub sua quantitate et dimensione (patet), et quantitas ejus ubi præfuit quantitas aeris conversi. Ergo corpus Christi ibi erit dimensionis, et, cum hoc, in cœlo.

Quarto arguitur sic principaliter. Ubicumque Deus potest facere substantiam naturalem non sub

(a) commultiplicari. — multiplicari cum Pr.

(6) continentis. — continuitatis Pr.

(a) quod. — quia Pr.

(6) maneat. — manet Pr.

suo modo naturali, vel sub modo opposito, potest eam facere sub suo modo proprio naturali, seu convenienti sue naturae : quia in primo, scilicet faciendo illud sine suo modo naturali, sunt duo miracula; et in secundo est tantum unum. Sed Deus, secundum omnes, potest facere corpus suum sacramentaliter, id est, non sub modo naturali, simul esse in diversis; et facit de facto. Ergo potest facere idem in eisdem sub modo naturali, scilicet localiter et dimensione.

Nec valet si dicatur quod est ibi per conversionem alterius in ipsum. Immo potest fieri sine conversione alterius in ipsum, sicut cum conversione : quia, transeunte conversione, adhuc manet; ergo formalis ratio illi essendi hic non est conversio; ergo, sine contradictione, potest alieni conferri esse hic, sine conversione alienus in ipsum; ergo, etc.

Dices forte quod conversio, ut preterita, est causa hujus praesentiae. — Contra : De potentia Dei absolute Deus non potest facere hujusmodi conversionem prateritam non preterisse; ergo, de sua potentia absoluta, non posset facere sic presens hic non esse presens sic (2); quod est falsum, ut patet.

Forte dicetur quod species conversi remanens post conversionem est ratio corpori Christi essendi hic; et ideo, si contingit panis nihil remanere, sed totum convertit in totum, sequitur quod corpus Christi non erit in loco conversi. — Contra : Illa species non est formaliter in corpore Christi. Ergo non est formaliter ratio corpori Christi essendi aliquale. Et hoc, Joquendo de aliquali pro quoque quod formaliter inest corpori Christi. Sed corpus Christi conceditur esse hic formaliter presens. Ergo, etc.

Probatur etiam illa prima propositio (6) sic : Possibile est novitatem esse circa posterius, sine novitate circa prius. Ergo possibile est talem praesentiam esse novam sine novitate circa formam substantiam, que prior est.

Quintosic. Angelus potest esse simul in pluribus locis diffinitive. Ergo et idem corpus dimensionaliter et localiter. Consequentia patet : quia consimilis est limitatio hic et ibi; et, per consequens, similis determinatio ad locum, modo utrique convenienti. Antecedens probatur : quia Deus potest panem convertere in angelum, ut post ostendetur (7); sed, secundum te, ubi est conversum, ibi est illud in quod convertitur, post conversionem, saltem si ratio localis manet; ergo angelus est ubi fuit panis; sed non potest esse ibi presens, quin sit ibi ut in loco, et secundum modum sibi convenientem essendi in loco, et, cum hoc, manet in proprio loco, nec

movetur de caelo; ergo est in duobus locis; et non potest nisi modo convenienti sibi, scilicet diffinitive; ergo, etc. — Hac Scotus, in forma,

III. Argumentum Aureoli. — Contra eandem conclusionem arguit Aureolus (*4. Sentent.*, dist. 48, q. 1, art. 2). Idem corpus esse in diversis locis localiter, non est repugnativa primi modi. Ergo Deus potest illud facere. Unde ratio potest sic formari : Deus potest illud quod non implicat contradictionem vel repugnantiam in primo modo; quia hoc facere non est facere affirmationem et negationem ejusdem de eodem. Sed facere quod idem corpus sit in diversis locis, non est contradicatio aut repugnativa in primo modo; quia non est affirmatio et negatio ejusdem. Ergo, etc. Probatur minor : Si Deus facit idem corpus in diversis locis (2), facit unam affirmativam, et aliam negativam, non de eodem subjecto, sed de eodem predicato; affirmatio est ista, *plurificari*, negatio est ista, *non plurificari*; modo plurificatio ibidem dicitur de situ, quia situs plurificatur; non plurificatio dicitur de corpore, quia corpus ibi non plurificatur; sed constat quod situs et corpus non sunt idem; ergo affirmatio et negatio ibi non dicitur de eodem. — Hac ille.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

§ 1. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Durandi. — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et ideo ad argumenta Durandi contra primam conclusionem, dicitur quod solus concludunt quod corpus Christi non sit in Eucharistia propriè localiter, nec circumscriptive, nec diffinitive; et quod neutro illorum modorum continetur in sacramento. Et hoc conceditur. Non tamen concludunt quod nullo modo ibi contineatur. Est enim aliud modus continentiae preter illos, scilicet modus quo quantitas continet substantiam cui inhaeret, vel substantiam sucedentem substantiae, cui quantitas inhaesit. Et hoc modo species sacramenti continent corpus Christi. Unde sanctus Thomas, praesenti distinctione, q. 1, art. 3, in solutione primæ questione, sic dicit : « Locus dicitur circumscribere locatum ex eo quod in circuitu describit figuram locati; quia loci proprii et locati oportet esse unam figuram. Figura autem est qualitas circa quantitatem. Et quia corpus Christi non habet ordinem ad species sub quibus continetur, mediante

(2) *sic.* — *hic Pr.*

(6) *Probatur etiam illa prima propositio.* — *Minor probatur Pr.*

(7) *Cfr. Scotum, 4. Sentent.*, dist. 41, q. 2.

(2) *locis.* — *Om. Pr.*

quantitate, sed e converso, ideo neque figura corporis Christi respondet figurae specierum, sicut patet ad sensum. Et ideo patet quod non est sub speciebus circumscriptive; et, per consequens, nec est in eis sicut in loco, quia nihil, propriæ et per se loquendo, est in loco, ut in loco, nisi quod loco circumserbitur. » — Hae ille. — Item, ibidem, in solutione primi, sic dicit: « Comparatio corporis Christi ad species sub quibus est, non est similis alieni comparationi naturali. Et ideo non potest reduci, proprie loquendo, ad aliquem modorum essendi in alio a Philosopho assignatorum. Habet tamen aliquam similitudinem cum illo modo quo aliquid dicitur esse in loco, secundum quod esse in loco est esse in aliquo separato extra substantiam suam, quod non est causa ejus. Et, secundum hoc, Innocentius dicit corpus Christi esse in pluribus locis, secundum quod continetur sub pluribus speciebus. » — Hae ille. — Item, in solutione secunda questione, determinat quod corpus Christi non diffinitive continetur sub speciebus sacramenti. Item, 3 p., q. 76, art. 5, sic dicit: « Corpus Christi non est in hoc sacramento secundum proprium modum quantitatis dimensionis, sed magis secundum modum substantiae. Omne autem corpus locatum, est in loco secundum modum quantitatis dimensionis, in quantum scilicet commensuratur loco secundum suam quantitatem. Unde relinquatur quod corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco, sed per modum substantiae, eo scilicet modo quo substantia continetur a dimensionibus. Succedit enim substantia corporis Christi in hoc sacramento substantiae panis; unde, sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiae, ita nec substantia corporis Christi. Nec tamen substantia corporis Christi est subjectum illarum dimensionum, sicut erat substantia panis. Et ideo panis, ratione suarum dimensionum, localiter erat ibi, quia comparabatur ad locum medianos propriis dimensionibus; substantia autem corporis Christi comparatur ad illum locum medianos dimensionibus alienis, ita quod, e converso, dimensiones propriæ corporis Christi comparantur ad locum illum mediante substantia, quod est contra rationem locati. Unde nullo modo corpus Christi est in hoc sacramento localiter. » — Hae ille. — Ex quibus apparet quod, licet corpus Christi non sit in hoc sacramento sicut in loco, continetur tamen in sacramento et a sacramento modo prædicto, non per modum locati, sed per modum substantiae contentæ sub accidentibus non sibi inherentibus, sed succedentis priori substantiae quæ substebat eisdem.

Dicitur ulterius, quod modus ille novus, de cuius inventione gloriatur Durandus, quo dicit substantiam corporis Christi esse in sacramento non per modum contenti, sed per modum praesentis, parum

valet. Et de hoc multum bene inquirit Petrus de Palude, ubi, inter cetera, ostendit quod positio Durandi multa falsa vel dubia continet: præsertim quia ponit substantiam angelii semper et simul esse præsentem omnibus corporibus ab ipso naturaliter mobilibus, sive actu moveat, sive solum in potentia; secundo, quia ponit expresse, vel in virtute, quod substantia colli, vel solis, si esset separata a quantitate, esset realiter simul praesens omnibus corporibus inferioribus ab ipso mobilibus; tertio, quia ponit corpus Christi non aliter esse praesens sacramento Eucharistie quam angelus existens in celo sit praesens corporibus humanis in terra existentibus, in que potest naturaliter agere; quarto, quia supponit quod substantia corporis Christi sit in sacramento sine propria quantitate; de cuius falsitate postea videbitur. Omnia ista prosequitur bene Petrus in presenti distinctione (q. 1).

II. Ad argumenta Aureoli. — **Ad primum** Aureoli contra eamdem conclusionem, pro quanto potest facere contra eamdem aut omnia sequentia, dicitur, negando majorem. Substantia enim corporis Christi habet habitudinem alterius rationis ad accidentia panis, quam haberet ad illa substantia panis. Tum quia substantia corporis Christi habet habitudinem ad illa accidentia per modum contenti, non subjecti, ad continens, non inherens; substantia vero panis habebat habitudinem ad illa per modum contenti et subjecti, ut dictum est (in solut. arg. Durandi). Tum quia panis habebat ad illa accidentia habitudinem ut ad rationem circumscriptivam et diffinitivam in loco; cuius oppositum est hic, ut dictum est (ibid.). Et multe aliae dissimilitudines hinc inde assignari possent. — Et ad confirmationem illius majoris, dicitur quod, licet corpus Christi sit in hoc sacramento virtute conversionis panis in ipsum, ex hoc non sequitur quod corpus Christi acquisiverit omnem habitudinem ad species, quam prius habuit panis, sed solum similitudines in genere, licet non in specie; nec quod naturam novam et prioribus dissimilem acquisierit, aut omnino disparatam, ut dictum est.

Dicitur secundo, quod minor argumenti est falsa; quia panis, ante conversionem, habuit aliquem vel aliquos respectus ad species derelictas in sacramento. Nec valet probatio, cum assumat falsum, scilicet quod inter accidens et subjectum non est respectus medius. Et cum hoc vult probare per hoc quod accidens et subjectum uniuertuntur immediate, etc.; — dicitur quod inter unita triplex potest considerari medium: scilicet ipso respectus unionis, aut ipsa unio, quæ est indivisio unitorum in aliquo uno esse; et secundo potest considerari medium causans unionem; tertio, medium sequens unionem. Modo conceditur quod nullus respectus cadit medius inter accidens et subjectum, tanquam causans eorum

unionem; sed bene cadit inter ea medium sequens unionem, puta inherentia hujus ad illud, et subjectio illius ad hoc; et sic de similibus. De hoc, in suo simili, sanctus Thomas, 3. *Sentent.*, dist. 2, q. 2, art. 2, in solutione tertiae quæstiunculae, sic dicit: « Inter humanam naturam et divinam necesse est cadere unione medium, non sicut causam, sed sicut effectum conjunctionem naturarum consequentem. Est enim natura relationis ut in aliis rerum generibus causam habeat, quia minimum habet de natura entis, ut dicit Commentator in 12. *Metaphysicæ* (com. 49). Unde, quamvis relatio per se non terminet motum, quia in *ad aliquid* non est motus, ut in 5. *Physicorum* (t. c. 10) probatur, tamen, ex hoc quod motus per se terminatur ad aliquod (z) ens, de necessitate consequitur relatio aliqua; sicut ex hoc quod motus alterationis terminatur ad albedinem, consequitur relatio similitudinis ad omnia alba. Similiter, ex hoc quod motus generationis terminatur ad formam, consequitur haec relatio, secundum quam materia esse sub forma dicitur. Ita etiam, ex hoc quod motus assumptionis naturæ humanæ terminatur ad personam, consequitur haec relatio quæ dicitur unio. Unde unio est medium, non sicut assumptionem causans, sed potius sicut eam consequens. » — Haec ille. — Et similia dicit per totum illum articulum et præcedentem. Et in multis aliis locis ponit similia, scilicet quod inter formam et materiam, inter accidens et subjectum, est aliqua relatio, vel respectus, non quidem unionem predictorum causans, sed potius consequens. Et de predictis multa dicta sunt tam in secundo quam in tertio *Sententiæ* (6).

Ad secundum, negatur minor, tanquam falsa, et forte erronea. Quia, sicut ista propositio est simpliciter falsa, *Accidentia panis, vel species panis derelictæ in Eucharistia post conversionem, sunt corpus Christi*; ita consimiliter ista est falsa, *Hoc est corpus Christi*, demonstrando species vel accidentia predicta. Sed verum est quod, sicut ista est vera, *Contentum sub istis speciebus est corpus Christi*; ita consimiliter et ista, *Hoc est corpus Christi*, demonstrando non quidem species, sed contentum sub illis. Et ad hunc sensum intelligendæ sunt auctoritates et dicta Christi. Illud enim quod videtur corporaliter in manibus sacerdotis, et sentitur aliquo sensu exteriori, non est corpus Christi, sed sacramentum et velamentum corporis Christi, ut patet ex dictis Magistri in presenti distinctione.

Ad tertium dicitur quod major est falsa, loquendo de præsentia supernaturaliter facta; cuiusmodi est in proposito. Præsentia enim corporis Christi ad

(a) *aliquid. — aliquid Pr.*

(6) Cfr. præsertim 1. *Sentent.*, dist. 30, q. 1, art. 1., C, § 4, IV, ad 8^{thm} (id est, vol. 2, pag. 306); item, 3. *Sentent.*, dist. 15, q. 1, art. 3, § 3, III, ad 9^{thm} (vol. 4, pag. 103); item, 3. *Sentent.*, dist. 5, q. 1. (vol. 5, pag. 53, etc.)

species, sola virtute divina sit principaliter; licet instrumentaliter dispositive fiat virtute sacramenti. Et ideo talis præsentia non oportet quod sub sit voluntati humanae Christi principaliter, sed divinæ voluntati. Sicut, in suo simili, præsentia spiritus damnati ad ignem inferni, cui est divinitus alligatus, non subest voluntati ejus, sed voluntati divinae; sicut ostendit sanctus Thomas, 4. *Contra Gentiles*, cap. 90, ubi sic dicit: « Patiuntur ergo ab igne corporeo substantiae incorporeæ, per modum alligationis ejusdem. Possunt enim spiritus alligari corporibus: vel per modum formæ, sicut anima corpori humano, ut det ei vitam; vel etiam absque hoc quod sit formæ, sicut necromantici (z), virtute daemonum, spiritus alligant imaginibus aut hujusmodi rebus. Multo ergo magis, virtute divina, spiritus damnandi igni corporeo alligari possunt. Et hoc ipsum est eis in afflictionem, quod sciunt se rebus inferioribus alligatos in penam. » — Haec ille. — Similia ponit, dist. 44 hujus quarti, q. 3, art. 3, in solutione tertiae quæstiunculae, ubi in fine sic dicit: « Ignis, secundum naturam suam, habet quod spiritus incorporeus sibi possit uniri ut loco locatum; sed, inquantum est instrumentum divinae justitiae, habet ut ipsum quodammodo detineat alligatum. » Verumtamen ista similitudo non currit per omnia, quia aliter continetur corpus Christi a speciebus sacramenti, et aliter detinetur spiritus damnatus ab igne, vel ab alio corpore cui alligatur.

Ad quartum, negatur minor. Quia utique circa corpus Christi, ut est in sacramento, derelinquitur aliquis respectus realis, vel rationis, ad species sacramentales. Nam, sicut dictum est in solutione argumentorum Durandi, comparatio corporis Christi ad species sub quibus est, licet non sit similis alicui comparationi naturali, tamen habet aliquam similitudinem cum illo modo quo aliquid dicitur esse in loco, et similiter cum illo modo quo dicitur substantia contineri a suis dimensionibus. Et ideo talis respectus potest reduci ad predicamentum *ubi*; vel *habitus*; nam istae species dicuntur a sanctis operimentum corporis Christi, ut patet ex dictis Magistri in presenti distinctione.

Ad quintum, negatur antecedens. Dicitur enim quod quantitas corporis Christi est realiter et præsentialiter in hoc sacramento, sicut et corpus, licet aliter et aliter; et, per consequens, habet respectum præsentiae ad species sacramenti. Unde sanctus Thomas, præsenti distinctione, q. 4, art. 2, q^{ta} 3, in solutione secundi, sic dicit: « Quia dimensiones corporis Christi non sunt ex vi sacramenti, sed solum ex eo quod concomitantur inseparabiliter substantiam, constat quod contrario ordine sunt ibi dimensiones proprie corporis Christi et dimensiones

(a) *necromantici. — nigromanti Pr.*

locati corporis in loco. Corporis enim locati substantia non habet ordinem ad locum nisi mediantibus dimensionibus; et ideo, quia dimensiones corporis locati non possunt esse simul cum aliis dimensionibus, sequitur, ex consequenti, quod substantia corporis locati non possit esse simul cum aliis dimensionibus separatis, neque in alio corpore existentibus. Sed hic, e contrario, substantia corporis Christi per se immediate ordinatur ad hoc quod sit sub sacramento, et dimensiones ejus proprie ex consequenti et per accidens. Substantia autem ex hoc quod est substantia, non prohibetur esse cum dimensionibus quibuscumque, sive conjunctis, sive separatis, sive etiam existentibus in alio subjecto; sicut substantia angeli potest esse simul ubi est aliud corpus. Et ideo corpus Christi sub propria quantitate potest esse sub dimensionibus panis. » — Haec ille. — Ex quibus apparet quod quantitas corporis Christi habet simultatem et presentiam ad species sacramenti, sicut et substantia corporis Christi; non tamen eodem modo. — Tunc, ad probationem antecedentis jam negati, dicitur quod presentia, vel simultas quantitatis ad quantitatem, in hoc sacramento, nullo modo habet rationem contactus. Nec valet probatio in oppositum. Quia plus requiritur ad rationem contactus quam ad rationem presentiae vel simultatis unius quantitatis ad aliam. Oportet enim quod utraque quantitas habeat modum essendi quantitatis. Sic autem non est hic; quia quantitas corporis Christi est in hoc sacramento per modum substantie, et non per modum quantitatis, in ordine ad sacramentum. Unde, sicut species sacramenti non tangunt substantiam corporis Christi, ita nec quantitatem ejus. Et de hoc habebitur in sequenti questione.

§ 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Scoti. — Ad primum Scoti contra secundam conclusionem, dicitur primo, quod conversio panis in corpus Christi est aliquo modo causa corpori Christi quod incipiat esse in hoc loco, dato quod non sit formalis ratio quod corpus Christi sit in hoc loco; sicut generatio ignis ex lignis est causa vel concausa quod ignis sit ubi prius erant ligna, licet non sit formalis ratio ignis essendi in tali loco, nec permanendi in eo. Et de hoc dicitur in sequenti distinctione latius.

Dicitur secundo, quod species sacramentales sunt corpori Christi ratio essendi in hoc loco, puta in altari vel parapside. Nec valet probatio in oppositum: quia, licet istae species non informent corpus Christi, tamen corpus succedit substantie informata per illas inseparabiliter quamvis ille manent; et ideo sicut ille species determinabant substantiam panis ad talem locum, ita determinant corpus Christi

ad locum, licet non eodem modo. De hoc sanctus Thomas, 3 p., q. 76, art. 5, sic dicit: « Substantia panis, ratione suarum dimensionum, localiter erat ibi; quia comparabatur ad locum mediantibus propriis dimensionibus. Substantia autem corporis Christi comparatur ad locum illum mediantibus dimensionibus alienis, etc., » ut dictum est in solutione argumentorum Durandi contra primam conclusionem. Item, prima questione hujus distinctionis, art. 4, in solutione quinti, sic dicit: « Quia conversa est in corpus Christi substantia panis, quae prius erat in hoc loco determinato mediantibus dimensionibus propriis suis, que manent transsubstantiatione facta; ideo manet locus, non quidem immediate habens ordinem ad corpus Christi secundum proprias dimensiones, sed secundum dimensiones panis remanentes, sub quibus succedit corpus Christi substantiae panis. Et ideo non est hic ut in loco, per se loquendo, sed ut in sacramento. » — Haec ille.

Dicitur tertio, ad formam argumenti ibidem factam, quod minor argumenti falsa est: quia species sunt formalis ratio corpori Christi essendi in hoc loco, modo quo dictum est, scilicet non ut in loco, sed ut in sacramento. Utrum autem per potentiam Dei absolutam posset corpus Christi esse in hoc loco ut in loco, sine conversione panis in illud, et sine speciebus remanentibus, postea videbitur, scilicet undecima distinctione.

Ad secundum, negatur major. Quia, si corpus Christi esset simul cum substantia quanta panis in hoc loco sacramenti, hoc non posset esse nisi per aliquam mutationem vel motum factum in corpore Christi; quod tamen non oportet, ad hoc quod corpus Christi sit simul cum dimensionibus panis, ut ostendit sanctus Thomas, prima questione undecima distinctionis, art. 1, in solutione prima questionis, ubi sic dicit: « Impossibile est aliquid esse nunc ubi prius non fuit, nisi ipsum mutetur, vel aliquid in ipsum. Nec posset etiam per miraculum fieri; sicut nec quod esset animal rationale et mortale, et non esset homo. Alter enim se habere nunc et prius, est idem quod moveri vel transmutari. Si ergo verum corpus Christi esset sub sacramento nunc, et non prius, oporteret aliquem motum vel mutationem intervenisse. Sed nulla mutatio est facta ex parte panis, secundum hanc positionem. Ergo oportet quod corpus Christi sit mutatum localiter, ut dicatur quod corpus Christi est hic; quia per motum localem hue venit. Quod est omnino impossibile: quia, cum simul et semel in diversis locis corpus Christi consecratur, oporteret quod simul et semel ad diversa loca idem corpus moveatur; quod est impossibile, quia contingere simul contrarios motus inesse eidem subjecto. » — Haec ille. — Ita multa similia dicit ibidem, et in 3 p. (q. 75), ut postea videbitur, in undecima distin-

ctione. — Et ad probationem majoris jam negatae, dicitur quod, licet simultas substantiae cum substantia sit possibilis simpliciter, sicut substantiae corporis Christi cum aliena dimensione; tamen inceptio talis simultatis requireret novam mutationem in corpore Christi; non autem inceptio simultatis corporis Christi cum aliena dimensione.

Cum autem ulterius dicitur, quod facilius est facere corpus esse alicubi cum suo modo naturali, etc.; — dicitur quod facere corpus Christi esse in duobus locis circumscriptive, non est facere illud esse in secundo illorum locorum modo naturali, sed potius modo contra naturam, et contra omnem potentiam passivam naturalem et obedientiam creature, cum contradictionem impliceat, ut postea dicetur.

Dicitur ulterius, quod corpus Christi esse in multis locis, de per accidens, et modo sacramentali, non implicat contradictionem, dato quod sint ibi multa miracula. Sed corpus Christi esse in duabus locis, de per se, et circumscriptive, implicat contradictionem; et ibi nec unum nec plura miracula sufficerent. Sed de hoc statim plus dicetur.

II. Ad alia argumenta Scoti. — Ad primum eorum que secundo loco Scotus inducit contra eamdem conclusionem, probando scilicet quod possibile sit idem corpus localiter esse simul in diversis locis, dicitur, negando minorem. Hoc enim implicat contradictionem; sicut ostendit sanctus Thomas, tertio *Quodlibeto*, art. 2, ubi sic dicit: « Aliquod corpus esse localiter in aliquo loco, nihil est aliud quam corpus circumscribi et comprehendi loco secundum commensurationem propriarum dimensionum. Quod autem comprehenditur a loco, ita est in illo, quod nihil ejus est extra locum illum. Unde ponere illud esse simul in alio loco, est ponere contradictoria esse simul. Unde, secundum premissa, hoc a Deo fieri non potest. — Item (arg. Sed contra): Omnia duo loca distinguuntur ab invicem secundum aliquam loci contrarietatem, que sunt sursum et deorsum, ante, retro, dextrum, sinistrum. Sed Deus non potest facere quod duo contraria sint simul; hoc enim implicat contradictionem. Ergo Deus non potest facere quod idem corpus sit localiter simul in diversis locis. » — Hec ille. — Similia ponit, quadragesima quartad distinctione hujus, q. 2, art. 3, in solutione tertii argumenti tertie questio[n]e, ubi sic dicit: « Quamvis resistentia qua mobile resistit moventi per contrarietatem quam habet ad tales motum ratione inclinationis ad contrarium motum, possit a movente infinita virtutis totaliter superari; non tamen resistentia qua mobile resistit ex hoc quod habet contrarium locum, nisi auferatur ab eo esse in tali loco vel situ. Sicut enim album resistit nigro ratione albedinis, et tanto magis, quanto albedo magis distat a nigre-

dine; ita corpus resistit alicui loco per hoc quod habet locum oppositum, et tanto est major resistentia, quanto est distantia. Non autem potest a corpore removeri quod sit in aliquo situ vel loco, nisi auferatur ei sua corporeitas, per quam debetur ei locus vel situs, etc. » — Hec ille.

Tunc, ad probationem minoris jam negatae, dicitur primo, quod, cum dicimus idem corpus esse simul localiter in diversis locis, non solum dicimus vel addimus supra corpus quemdam respectum extrinsecus advenientem fundatum in uno quanto ad aliud quantum circumscribens ipsum, immo, ultra illum respectum, ponimus comprehensionem quanti vel corporis circumscripti a quanto vel corpore circumscrivente, et, consequenter, negationem alterius circumscriptio[n]is a quoque quanto vel corpore extrinseco; et ita ponimus corpus locatum simul bis comprehendendi (quia in duobus locis), et nullatenus comprehendendi, cum totum sit extra quilibet ipsorum locorum; quod implicat manifeste non solum unam, immo duas contradictiones. Sit enim unus illorum locorum A, et alias B: tunc prima contradictione est quod C corpus comprehenditur ab A, et idem C non comprehenditur ab A; secunda est quod C corpus comprehenditur a loco B, et idem non comprehenditur a loco B. Vel aliter: prima contradictione est quod nihil ipsius C est extra A, et, simul cum hoc, quilibet pars C est extra A; secunda vero contradictione est quod nihil ipsius C est extra B, et, simul cum hoc, quilibet ipsius C est extra B.

Dicitur secundo, quod respectum *ubi* plurificari super idem fundamentum ad diversos terminos, est aequo impossibile sicut duo contraria inesse simul eidem subiecto in actu: quia quilibet duo respectus de genere *ubi* ad diversa loca sunt contrarii, sicut et quilibet duo loca; et sicut albedo expellit nigredinem formaliter, ita unum *ubi* expellit aliud, vel resistit alteri. Et quidem de contrarietate locorum expresse ponit Aristoteles, 10. *Ethicorum*, cap. 4, quod incipit, *Quid autem, vel quale quid, manifestius*, etc., ubi sic dicit: *In tempore enim omnis motus, et finis alicujus, puta adificativa perfecta, cum faciat quod appetit (z), vel in omni tempore utique, vel hoc. In partibus autem temporis omnes imperfectae, et alterae specie a tota, et ab invicem. Laterum enim compositio altera a columnae virgatione; et haec a templificatione. Et templi quidem perfecta, nullo enim indigens ad propositum; fundamenti autem et trisculpti (6) imperfecta, partis enim utraque. Specie ergo differunt. Et non est in quoque tempore accipere motum perfectum specie (y); sed si quidem,*

(z) *appetit. — appetit Pr.*

(6) *trisculpti. — sculpti Pr;*

(y) *non est in quoque tempore accipere motum perfectum specie. — non in quoque specie accipere motum perfectum esse Pr.*

in omni. Similiter autem in ambulatione et in reliquis. Si enim est latio motus unde et quo, et haec differre secundum species, volatio, ambulatio, saltatio, et talia. Non solum autem sic, sed et in ipsa ambulatione. Hie (x) enim unde et quo non idem in studio et in parte (6), et in altera et altera parte. Neque pertransire lineum hanc, et illam (7) : non solum enim (8) lineam pertransit, sed in loco existentem; in altero (9) autem haec ab illa. Per certitudinem quidem ergo de motu in aliis dictum est. Videtur autem non in omni tempore perfectus esse; sed multi imperfecti, et differentes species; si quidem quod unde et quo specificum. — Hec ille. — Quod exponens sanctus Thomas, in Scripto super eodem loco (lect. 5), sic dicit : « Generationes totius et partium differunt species. Et sicut est in generatione, simile videtur esse in ambulatione, et in omnibus aliis motibus localibus. Manifestum est enim quod latio, id est, motus localis, est motus unde et quo, id est, a termino et ad terminum. Et sic oportet quod specie diversificetur (10) secundum diversitatem terminorum. Sunt autem diverse species motus localis in animalibus : volatus, qui competit avibus; ambulatio, que competit gressilibus; saltatio, que competit locustis; et alia hujusmodi; que differunt secundum diversas species principiorum motuum : non enim sunt ejusdem speciei anime diversorum animalium. Nec solum modo predicto diversificantur species localium motuum; sed etiam in una dictarum specierum, puta ambulatione, diverse species inveniuntur. Si enim accipiatur motus quo quis perambulat stadium, et motus quo quis perambulat aliquam partem ejus, non est utroque idem unde et quo, id est, terminus a quo et terminus ad quem. Et simile est de motibus quibus aliquis ambulat hanc et illam partem stadium; quia non sunt idem termini. Non enim est idem secundum speciem pertransire hanc lineam, et illam. Quamvis enim omnes lineae, inquantum hujusmodi, sint ejusdem speciei, tamen, secundum quod in certo situ seu loco constituantur, accipiuntur ut specie differentes, secundum diversitatem locorum, que attenditur secundum ordinem ad primum continens. Ille autem qui pertransit lineam, non solum pertransit lineam, sed lineam in loco existentem; quia in alio loco est una linea ab alia. Et ita manifestum est quod, secundum diversitatem terminorum, differt specie totus motus localis a singulis partibus; ita tamen quod totus motus habet perfectam speciem, partes autem habent speciem imper-

fectam, etc. » — Hec ille. — Ex quibus patet quod diversa loca diversitatem specificam et contrarietatem habent, et, consequenter, diversa ubi ex circumscriptione talium locorum derelicta, sicut ubi sursum, et ubi deorsum, et sic de aliis. Et, per consequens, apparet quod majorum incompossibilitatem habent diversi effectus de genere ubi ad coexistendum eidem fundamento ad diversos terminos, quam diverse similitudines in eodem albo ad diversa coalba : quia duo ubi differunt specie, et contrariantur ad invicem; non sic duas similitudines in eodem fundamento fundatae in ordine ad diversos terminos.

Dicitur tertio, quod nec due reales similitudines insunt eidem subjecto per idem fundamentum simul in ordine ad diversos terminos. Et de hoc satis dictum est, 3. *Sentent.* (dist. 7 et 8), cum tractaretur de filiatione Christi ad Matrem et Patrem (z). Immo idem subjectum albedinis per eamdem relationem realem similitudinis refertur ad omnia alia alba. De hoc sanctus Thomas, 3. *Sentent.*, dist. 8, q. 1, art. 5, sic dicit : « Relatio non habet ex hoc quod ad alterum dicitur, quod sit aliquid in rerum natura; sed hoc habet ex eo quod relationem causat in re que ad alterum dicitur. Et quia ex eo res habet unitatem ei multitudinem, ex quo habet esse, ideo, secundum id in quo relatio fundatur, judicandum est de ea, utrum sit secundum rem una, vel multe. Sunt ergo quedam relationes que fundantur super quantitatem, sicut aequalitas, que fundatur super unum in quantitate; et cum unitas quantitatis non sit nisi una in una re, inde est quod per unum aequalitatem est res aequalis omnibus quibus aequalis dicitur. » — Hec ille. — Similia dicit, 3 p., q. 35, art. 5, et multis aliis locis (6).

Dicitur quarto, quod non solum sequendo imaginationem, immo sequendo rationem, habemus ponere quod, plurificato loco, plurificatur corpus. Quod patet insipienti quid est corpus esse in loco localiter. Hoc enim importat corpus comprehendendi loco, ita ut nihil ejus sit extra illud; et, consequenter, adequationem loci et locuti; et, consequenter, ad multiplicationem unius sequitur multiplicatio alterius. — Nec valet ratio in oppositum, de priori et de posteriori adducta. Quia, licet ad multiplicationem posterioris non necessario sequatur multiplicatio prioris, quando posteriora taliter multiplicata respiciunt diversa susceptiva, et non idem (sunt diversi radii unius luminaris, vel effectus solis); vel, si respiciunt idem subjectum, nullam tamen habent contrarietatem ad invicem, nec incompossibilitatem simul inexistenti eidem subjecto (sicut duas potentias animae, puta intellectus et voluntas; aut duo habitus ejusdem potentiae); verum-

(x) *Hic.* — *Hec Pr.*

(6) *et in parte.* — *Om. Pr.*

(7) *illam.* — *substantiam Pr.*

(8) *enim.* — *in Pr.*

(9) *altero.* — *altera Pr.*

(10) *diversificetur.* — *diversificetur Pr.*

(x) Cfr. vol. 5, pag. 124 et seq.

(z) Cfr. praesertim *Quodlib. 1.* art. 2; et *Quodlib. 9.* art. 4.

tamen quando posterius recipitur in priori subjective, et quecumque duo accepta sub tali posteriori habent ad invicem contrarietatem, vel incompatibilitatem simul inexistenti eidem, tunc portet quod, multiplicato posteriori realiter, multiplicetur prius secundum rem : sicut, multiplicatis formis substantiis, multiplicatur materia; et, multiplicatis contrariis accidentibus, multiplicatur subjectum; et idem est de accidentibus solo numero differentibus ejusdem speciei. Sic autem est in proposito: quia diversi respectus de genere *ubi*, licet sint posteriores corpore locati, tamen, quia recipiuntur in eo, et quilibet tales duo derelicti ex diversis locis habent contrarietatem et incompatibilitatem respectu ejusdem locati, ideo, multiplicatis talibus respectibus, multiplicantur eorum subjecta, nec possunt simul inesse eidem subjecto.

Dicitur quinto, quod responsio quam arguens recitat, potest probabiliter suscineri, dicendo quod quoddlibet *ubi* adaequat suum fundamentum et subjectum, sic quod repugnat enilibet alteri accidenti ejusdem generis circa idem subjectum, modo predicto; sicut quilibet forma substantialis enilibet alteri circa eundem materiam; et ipsum contrarium alteri circa idem subjectum, et quoddlibet accidens alteri ejusdem speciei. — Et ad primam improbationem, dicitur quod fundatur in duobus falsis. Primum est, quod duo respectus ejusdem speciei, puta duas aequalitates, vel similitudines, vel filiationes, possint simul eiden subjecto vel fundamento inesse. Secundum est, quod esse in loco localiter non importet nisi solum respectum de genere *ubi*, et non aliquam negationem alterius *ubi*, nec comprehensionem locati a loco; cuius oppositum visum est supra. — Ad confirmationem, dicitur quod similitudo ibidem posita de presentia quantitatis ad locum, et de presentia substantiae ad locum, penitus nihil valet. Quia de ratione prima est comprehensio taliter presentis a loco, cui dicitur esse localiter praesens; non autem de ratione secunda; potissimum quia secunda presentia est quasi per accidens, cum non sit de ratione alicuius formaliter inexistentis substantiae taliter praesenti, sed solum ratione extrinsecarum dimensionum, scilicet panis conversi in corpus Christi, sub quibus secunda substantia succedit priori.

Et sic patet quod prima ratio principalis, non militat contra conclusionem.

Ad secundam rationem principalem, negatur major. Cuius rationem assignat sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 44, q. 2, art. 2, q. 3, in solutione quarti, ubi sic dicit: « Unum corporis esse localiter in diversis locis, non potest fieri per miraculum (corpus enim Christi non est in altari localiter, ut supra), dist. 10, q. 1, art. 3 (o), dictum

est); quanvis miraculose possit fieri quod duo corpora sint in eodem loco. Quia esse in pluribus locis simul, repugnat individuo ratione ejus quod est esse indivisum in se; sequeretur (x) enim quod esset distinctum in situ; sed esse cum alio corpore in eodem loco, repugnat ei quantum ad hoc quod est esse divisum ab alio. Ratio autem unius persicitur in indivisione, ut patet, 4. *Metaphysicæ* (1. c. 4); sed divisio ab aliis est de consequentibus ad rationem unius. Unde quod idem corpus localiter sit in diversis locis simul, includit contradictionem, sicut quod homo caret ratione; sed duo corpora esse in eodem loco, non includit contradictionem, ut ex dictis patet. Ideo non est simile. »

Haec ille. — Item, primo *Quodlibeto*, art. 22, arguit sic (primo loco): « Sicut se habet unum corpus ad unum locum, ita duo corpora ad duo loca. Ergo, communatim, sicut unum corpus ad duo loca, ita duo corpora ad unum. Sed unum corpus nullo modo potest esse in duobus locis. Ergo nec duo corpora in uno loco. » — Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum quod proportione commutata sic est utendum: Sicut se habet primum ad secundum, ut duoad tria; ita se habet tertium ad quartum, ut quatuor ad sex (6). Ergo, communatim, sicut se habet primum ad tertium, ut duo ad quatuor; ita se habet secundum ad quartum, ut tria ad sex. Et secundum hoc ratio deberet procedere: Sicut se habet unum corpus ad unum locum, ita duo corpora ad duo loca. Ergo, sicut se habet unum corpus ad duo corpora, ita unus locus ad duo loca. Et sic non sequitur quod si unum corpus non potest esse in duobus locis, quod duo corpora non possint esse in uno loco. Unum enim corpus esse localiter in duobus locis, implicat contradictionem: quia de ratione loci est quod sit terminus locati; terminus autem est extra quem nihil est rei; unde nihil locali potest esse in loco exteriori; quod si ponatur esse in duobus locis, sequitur quod sit extra locum; et ita sequitur quod sit locatum et non locatum. Nec est instantia de corpore Christi: quia non est in Sacramento Altaris localiter, sed per conversionem. » — *Haec ille.* — Ex quibus patet quod minus inconveniens est duo corpora esse simul in eodem loco, quam idem corpus esse simul localiter in diversis locis; cum secundum implicet contradictionem simpliciter et absolute, primum vero non implicat contradictionem simpliciter et absolute, sed secundum quid. Et de hoc sanctus Thomas, in *Scripto super Boetium, de Trinitate*, in illa questione ubi querit: Utrum duo corpora possint intelligi esse in eodem loco. Arguit sic (arg. 1): « Omnis propositio videtur esse intelligibilis, in cuius subjecto non includitur oppositum praedicati; quia talis propositio

(x) *sequeretur*, — *sequitur Pr.*

(o) *ut quatuor ad sex*, — *Omn. Pe.*

non habet repugnantiam intellectum. Sed haec propositio, *Duo corpora sunt in eodem loco*, non est hujusmodi, alias nūquā posset fieri miraculose; quod patet esse falsum in corpore Dominicō, quod exīvit clauso utero Virginis, et intravit ad discipulos Januis clausis; non enim potest Deus facere quod affirmatio et negatio sint simul vera, ut dicit Augustinus *Contra Faustum* (lib. 26, cap. 4 et 5). Ergo potest aliquis intelligere, vel saltem intellectu fingere, duo corpora esse in eodem loco. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod dupliceiter potest esse aliqua propositio non intelligibilis. Uno modo, ex parte intelligentis, qui deficit intellectu; sicut haec propositio, *In tribus divinis personis est una essentia*; et hujusmodi propositio non oportet quod implicet contradictionem. Alio modo, ex parte ipsius propositionis. Et hoc dupliceiter. Uno modo, quia implicat contradictionem simpliciter et absolute; sicut ista, *Rationale est irrationale*; et hujusmodi propositiones nullo miraculo verificari possunt. Alio modo, quia implicant contradictionem aliquo modo; sicut ista, *Mortuus redit ad vitam virtute propria*, cum ponatur, per hoc quod dicitur mortuum, omni principio vite destitutum; et talia possunt verificari miraculo, superiori virtute operante. Et similiter est in proposito. Sicut enim duobus corporibus in eodem loco positis non potest aliqua causa naturalis diversitatis inveniri; sic divina virtus potest ea, quamvis sint unita in situ, in sua distinctione conservare; et sic miraculose fieri potest duo corpora esse in eodem loco. » — Haec ille.

Tunc ad probationem majoris negatae, dicitur primo, quod, licet philosophi ponerent repugnantiam inter duo quanta respectu ejusdem *ubi*, modo predicto; non tamen tamē qualis est inter duo contraria respectu ejusdem subjecti, quia *ubi* non est subjectum duorum corporum, nec recipit ea sicut subjectum recipit in se contraria; sed potius respectus de genere *ubi* recipitur subjective in corpore vel quanto locato. Tamen philosophi dicent quod duo corpora, vel quanta, non possunt habere idem *ubi* simul, ea ratione, quia impossibile est idem accidentis esse in diversis subjectis.

Dicitur secundo, quod, posito, per miraculum, quod duo quanta essent simul in eodem loco, ex hoc nullatenus sequitur quod illa duo quanta haberent idem *ubi* numero, sed duo distincta; sicut duo alba habent duos respectus similitudinis in ordine ad eundem terminum, et duo temporalia habent duos respectus de genere *quando* ad idem tempus vel instantem.

Dicitur tertio, quod duorum quantorum repugnancia respectu ejusdem loci simul, non est repugnancia proprie formalis (qualis est inter duo contraria, vel contradictoria, vel privative opposita), sed potius repugnancia effectiva: quia scilicet unum

expellit reliquum quantum sibi aequale de eodem loco effective, non autem formaliter; quia, in expulsione formalis, illud quod expellitur, desinit esse et inesse, sicut terminus a quo, adveniente termino ad quem. Talem autem repugnantiam effectivam potest Deus suspendere, manentibus duobus quantis in eodem loco; non autem repugnantiam formalem, qualis est inter duo *ubi* respectu ejusdem corporis. Unde probatio illa arguit a minori affirmative. Ideo non valet.

Dicitur quarto, quod dos subtilitatis non tollit a duobus quantis illud quod est causa incompossibilitatis duorum quantum in eodem loco, aut duorum *ubi* vel locorum respectu ejusdem locati. Ideo responsio ibidem recitata, non est tenenda. Et de hoc sanctus Thomas, quadragesimaquarta distinctione hujus *Quarti*, q. 2, art. 2, in solutione secundae quaestione, sic dicit: « Non potest dici quod corpus gloriosum ratione subtilitatis sue habeat quod possit esse cum aliо corpore in eodem loco, nisi per subtilitatem auferatur ab eo illud quo prohibetur nunc esse simul cum aliо corpore in eodem loco. Dicunt antea quidam, quod prohibetur ab hoc, in isto statu (x), ratione corpulentiae, per quam habet quod replet locum; que quidem corpulentia ab eo per dotem subtilitatis tolletur. Sed hoc stare non potest, propter duo, *Prima*, quia corpulentia, quam dos subtilitatis auferit, est ad defectum pertinens, puta aliqua inordinatio materiae non perfecte substantis sue forme. Totum enim quod ad integratatem corporis pertinet, in corpore resurget, tam ex parte formae, quam ex parte materiae. Quod autem (y) aliquod corpus sit repletum loci, hoc habet per id quod est de integritate ejus, et non ex aliquo defectu nature. Cum enim plenum opponatur vacuo, illud solum non replet locum, quo posito in loco, locus nihilominus (z) remanet vacuus. Vacuum autem diffinitur, 4. *Physicorum* (1, c. 6), quod est locus non repletus sensibili corpore. Dicitur autem aliquod corpus sensibile esse ex materia et forma et naturalibus accidentibus; que omnia ad integratatem materie pertinent. Constat etiam quod corpus gloriosum erit sensibile secundum factum; ut patet in corpore Domini, *Luce ult.* (v. 39); nec ei deerit materia, aut forma, aut alia naturalia accidentia, scilicet calidum et frigidum et hujusmodi. Unde patet quod corpus gloriosum, non obstante subtilitatis dose, replet locum. Insanum autem videtur esse, dicere quod locus ubi esset corpus gloriosum, esset vacuum. *Secundo*, ratio eorum predicta non valet. Quia impedire existentiam corporis in eodem loco, est in plus quam replete locum. Si enim ponamus

(x) *statu*. — *Om. Pr.*

(y) *Quod autem*. — *Quia quod Pr.*

(z) *nihilominus*. — *noenus Pr.*

dimensiones esse separatas a materia, illae dimensiones non replent locum; unde (x) quidam pones tes vacuum, dixerunt (6) vacuum esse locum in quo sunt hujusmodi dimensiones sine aliquo corpore sensibili; et tamen iste dimensiones prohibent ne sint simul cum alio corpore in eodem loco, ut patet per Philosophum, 4. *Physicorum* (t. c. 76), et 3. *Metaphysice* (t. c. 9), ubi habet pro inconvenienti quod corpus mathematicum, quod nihil aliud est quam dimensiones separatae, sit (y) simul cum corpore naturali sensibili. Unde, dato quod subtilitas corporis gloriosi auferret ab eo hoc quod est replere locum, non tamen sequeretur quod propter hoc posset esse cum alio corpore in eodem loco; quia, remoto eo quod est in minus, non propter hoc removetur quod est in plus. — Dicendum est ergo, quod illud quod impedit corpus nostrum nunc ne sit simul cum alio corpore in eodem loco, nullo modo poterit ab eo removeri per dotem subtilitatis. Nihil enim potest prohibere corpus aliquod ne sit simul situatum cum alio corpore in eodem loco, nisi quod facit in eo quod requirat diversum situm; nihil enim est impedimentum identitatis, nisi quod est causa diversitatis. Hanc autem distinctionem situs non requirit aliqua corporis qualitas: quia corpori non debetur aliquis situs ratione sue qualitatis; unde, remoto a corpore sensibili quod sit calidum aut frigidum, aut grave aut leve, nihilominus in eo remanet necessitas praedictae distinctionis, ut patet per Philosophum, 4. *Physicorum* (t. c. 76); et perse planum est. Similiter etiam materia non potest inducere necessitatem praedictae distinctionis; quia materie non advenit situs, nisi mediante quantitate dimensiva. Similiter etiam neque forma sium habet, nisi ex materia sium habente. Restat ergo quod necessitas distinctionis duorum corporum in situ causatur a natura (z) quantitatis dimensiva, cui per se convenit situs; cadit enim in diffinitione ejus; quia quantitas dimensiva, est quantitas positionem habens, vel situm; et inde est quod, renotis omnibus aliis que sunt in re, talis distinctionis necessitas invenitur in sola quantitate dimensiva. Si enim accipiatur linea separata, oportet quod, si sint duas lineae, vel duas partes unius linea, quod sint distinctae in situ; alias linea addita linea non efficeret maius; quod est contra communem animi conceptionem. Et similiter est de superficiebus et corporibus mathematicis. Et quia materie debetur situs in quantum substata dimensioni, exinde praedicta necessitas ad materialm situatam derivatur: ut, sicut non est possibile esse duas lineas, vel duas partes linea, nisi sint distinctae secundum situm;

ita impossibile est esse duas materias, vel duas partes materie, nisi sit distinctio situs. Et quia distinctio materie est principium distinctionis individuorum, inde est quod Boetius dicit, in libro *de Trinitate*, quod *duobus corporibus unum locum fingere nullo modo possumus*, ut hanc saltem varietatem accidentium distinctionis individuorum requirat. Subtilitas autem a corpore gloriose dimensionem non auferet. Unde nullo modo auferet sibi praedictam necessitatem distinctionis situs ab alio corpore. Et ita corpus gloriosum non habet ratione sue subtilitatis quod possit esse simul cum alio corpore; sed poterit esse simul cum alio corpore, ex operatione virtutis divina: sicut etiam corpus Petri non habuit ex aliqua proprietate indita quod ad intumbrationem ejus sanarentur infirmi, sed hoc habebat virtute divina, ad aedificationem fidei; ita faciet virtus divina, ut corpus gloriosum possit esse cum alio corpore, ad perfectionem gloriae. » — Haec ille. — Similia dicit, ultima questione primi *Quodlibeti* (art. 22). — Ex quibus patet veritas quarti dicti.

Dicitur quinto, quod, licet responsio allegata non valeat, tamen impugnatio ejus parum valet. Quod enim impossibile sit idem corpus esse localiter in diversis locis, hoc non est precise ex aliqua causarum quas arguens ponit, scilicet ex commensuratione loci et locati, neque ex prioritate vel posterioritate aut simultate unius illorum respectu alterius. Sed illa impossibilitas est ex causis per Sanctum Thomam assignatis, scilicet quia locus comprehendit locatum, et est terminus locati, et non contra; ideoque nihil locati potest esse extra locum, proprie loquendo de ly *extra*; scilicet ut sit ibi localiter; quia esse in alio sacramentaliter, non localiter, sed de per accidens, non est proprio extra.

Dicitur sexto, quod forma rationis ultimae adducta, parum movet. Quia major est neganda, in illo casu ubi multitudo posterioris cum unitate prioris infert opposita inesse eidem; non autem multitudo prioris cum unitate posterioris. Sic autem est in proposito, ut patere potest ex dictis.

Ad tertiam rationem principalem respondet virtualiter sanctus Thomas, tertio *Quodlibeto*, art. 2; ubi arguit sic (primo loco): « Difficilis est quod haec substantia mutetur in illam substantiam, quam quod hoc accidens mutetur in illud accidens. Sed, in Sacramento Altaris, ex hoc quod divina virtute substantia panis, remanentibus ejus dimensionibus, secundum quas loco commensuratur, convertitur in substantiam corporis Christi, sequitur quod idem corpus Christi sit non localiter secundum commensurationem propriarum dimensionum, sed sacramentaliter, in pluribus locis simul. Ergo potest facere quod convertatur dimensio hujus corporis in dimensionem alterius: et sic erit idem corpus localiter in diversis locis simul. » Ecce argumentum.

(x) *cum.* — *Ad. Pr.*

(6) *dixerunt.* — *dixerint Pr.*

(y) *sit.* — *sint Pr.*

(z) *a natura.* — *in antea Pr.*

Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod difficultius est hoc accidens mutari in illud accidens, quam hanc substantiam mutari in illam substantiam. Tum quia duæ substantiae convenient in subjecto materiali, quod est pars utriusque substantiae essentialis. Tum quia substantia habet individuationem per seipsum, accidens vero non est individuabile per seipsum, sed per subjectum; unde non potest sibi convenire quod hoc accidens convertatur in hoc accidens. Dato tamen quod haec dimensio converteretur in illam dimensionem, non sequeretur quod idem corpus esset in duobus simul, sed in uno tantum : quia, sicut postquam substantia panis conversa est in substantiam corporis Christi, jam non sunt ibi duæ substantiae, sed una tantum; ita etiam, si haec dimensio hujus corporis convertatur in illam dimensionem alterius corporis, jam non duæ erunt dimensiones, sed una tantum; et sic non commensurabitur diversis locis, sed uni tantum. »

— Haec ille. — Ex quo patet solutio ad argumentum Scotti. Dicitur enim quod, in casu argumenti sui, substantia prius subiecta quantitati converse in quantitatem corporis Christi, vel alterius, ex vi talis conversionis non haberet quod esset in aliquo loco localiter. Non quidem in loco primo, qui sibi debebatur ratione sua dimensionis : quia illa dimensio, facta conversione tali, cum non sit, non est in loco; nec dat substantiae quod sit in loco quocumque, sicut dabat prius; et sic talis substantia, nec ex se, nec ex quacumque dimensione, habet quod sit in primo loco. Similiter nec habet quod sit in loco quantitatis, vel dimensionis, in quam sua dimensio conversa est : quia dimensio sua non est in illo loco, cum tunc non sit; nec substantia illa conversa in aliam substantiam, ut supponitur; et, dato quod in aliam substantiam conversa esset, non tamen virtute conversionis, nec virtute proprie dimensionis, nec aliena, esset in alio loco localiter; et sic patet quod, in dicto casu, dimensio conversa, non est ex vi conversionis in duobus locis localiter. Similiter nec substantia prius illi subiecta, esset, nec in uno loco localiter et in alio sacramentaliter, nec in duobus locis sacramentaliter; sed una substantia, que prius erat in loco localiter, ratione propriarum dimensionum, si remaneret non conversa in aliud, esset abstracta ab omni loco, situ et ubi; nisi forte diceretur esse alicubi per contactum virtutis, eo modo quo substantiae separate, qui modus non est ad propositum. Similiter, nec quantitas in quam conversa est, nec substantia ei subiecta, virtute conversionis praedictae esset in duobus locis localiter. Quod apparet. Cum enim dicit arguens, quod, secundum nos, terminus conversionis *ad quem* est ubi prius fuit terminus *a quo* conversionis, et in eodem loco, etc., — patet quod hoc non valet ad propositum. Quia illa propositio solum habet locum ubi remanet ratio locationis ipsius con-

versi : sicut in Eucharistia, facta conversione, remanent dimensiones substantiae conversae, quæ erant sibi ratio essendi in loco; ideo substantia corporis Christi incipit esse in loco ubi sunt dimensiones substantiae conversae, quæ erant ratio locandi. Sed, in casu argumenti, cum nulla ratio locativa quantitatis conversae remaneat, non oportet quod terminus *ad quem* sit ubi prius fuit terminus *a quo* conversionis; vel, dato quod terminus *ad quem* fingeretur esse ibi aliquo modo, non tamen localiter. Et sic nullo modo sequitur quod terminus *ad quem* sit in duabus locis localiter, sed tantum in uno. Unde patet quod responsio quam recitat arguens, sufficienter evacuat argumentum. Nec replica contra respondensem adductam valet, ut finaliter arguens confitetur. — Cum autem finaliter dicit, quod, in casu quo quantitas aeris converteretur in quantitatem corporis Christi, manente substantia aeris, etc.; — respondetur quod, in illo casu, corpus Christi cum sua quantitate non esset localiter alibi quam prius; quia nec ratione suarum dimensionum, nec alienarum. Unde argumentum istud nihil concludit, sicut nec precedentia. Et si dicatur quod immo, quia dimensio (2) corporis Christi nullo casu succederet quantitati aeris de per se et directe in eodem loco in quo prius erat quantitas aeris, et esset in quantitate, et per modum quantitatis, et ita localiter, nec propter talam conversionem desineret esse in celo localiter, et ita simul esset in duabus locis; — dicitur quod, cum locus esset quid extrinsecum quantitati conversae, nec ullatenus foret eidem ratio essendi in loco, non oporteret quod quantitas corporis Christi esset post conversionem in loco in quo præfuit quantitas conversa. Vel, si detur quod corpus Christi, secundum suam quantitatem, inciperet esse localiter in eodem loco, tunc desineret esse in celo localiter, et esset tantum in alterum in quo placeret Deo, et non in utroque et localiter simul. Et hoc sufficit ad argumentum illud.

Ad quartum principale dicitur quod forma arguendi non valet, atque nihil concludit contra conclusionem. Si autem reducatur ad debitam formam, dicendo sic : In quocumque locis Deus potest facere substantiam naturalem simul esse modo sacramentali, potest eam in tot locis facere simul esse, vel ponere, modo locali et sue naturæ convenienti, etc., — tunc sic, negatur illa major : quia substantiam naturalem corporis Christi esse in multis locis localiter, implicat contradictionem; non autem illam esse simul in multis locis non localiter, sed sacramentaliter, ut sape dictum fuit. Nec valet probatio majoris : quia ad faciendum substantiam esse simul in pluribus locis localiter, vel modo convenienti sue naturæ, non sufficit unum miraculum; immo requi-

(2) *dimensio*. — *divisio* Pr.

retur positio (x) impossibilium vel incompossibilium, scilicet quod duo contradictoria essent simul vera.

De responsione vero quam recitat arguens, dicendum est sicut prius dictum fuit, in simili, respondendo ad primum argumentum eorum que primo loco contra istam conclusionem indueta sunt: scilicet quod conversio non est formalis ratio corpori Christi essendi in hoc loco, sed potius species panis, quibus mediantibus comparatur ad locum, non tamen localiter, sed sacramentaliter.

Nec obstat quod tales species non insunt formaliter corpori Christi. Sufficit enim quod infuerint substantiae panis, cui substantia corporis Christi successit, et habet aliquam praesentiam vel unitiōnem aut alligationem ad illas species; sicut quantitas informans corpus humanum est formalis ratio animae intellectivae essendi in loco, licet non insit anima formaliter, nec econtra, propter aliqualem unionem eorum in tertio, scilicet corpore humano; potissime quia corpus Christi non est in hoc loco ut in loco, nec ut subjectum *ubi* vel *situs*, et sic nec formaliter in loco proprio.

Cum autem ulterius dicit quod possibile est novitatem esse circa posterius, nulla facta novitate circa prius, etc.; — dicitur quod impossibile est ponere novum respectum sine novitate vel innovatione facta circa aliquid absolutum, ut alias dictum est (6). Talis autem novitas non appareat in proposito alia, quae sufficiat ad novitatem praesentiae corporis Christi in loco vel saeramento, nisi nova incepit alicujus, vel conversio alicujus prius hic locati in corpus Christi, vel motus unius ad aliud. Primum et tertium non possunt dari. Ergo oportet dare secundum. Sed de hoc in sequenti quastione latior erit sermo. Et licet non omne prius innovetur ad innovationem posterioris, tamen aliquid sic innovatur; sicut subjectum, ad innovationem proprie passionis, que natura posterior est. Et multe aliae instantiae dari possunt.

Ad quintum, negatur antecedens, sicut implicans contradictionem. Quod enim diffinitive est in aliquo loco, sic est ibi, quod non alibi. Unde sanctus Thomas, 3 p., q. 76, art. 5, in solutione primi, sic dicit: «Corpus Christi non est in hoc saeramento diffinitive: quia sic non esset alibi quam in hoc altari, ubi conficitur hoc sacramentum; cum tamen sit in celo in propria specie, et in multis aliis altaribus sub specie sacramenti.» — Haec ille. — Similia dicit, praesenti distinctione, q. 4, art. 3, in solutione secundae quastionis. Et, 4 p., q. 52, art. 2, sic dicit: «Diversimode esse in loco convenit corpori, et angelo, et Deo. Nam corpus dicitur esse in loco circumscriptive, quia commensuratur

loco; angelus autem non circumscriptive, quia non commensuratur loco, sed diffinitive, quia ita est in uno loco quod non in alio; Deus autem neque diffinitive, neque circumscriptive, quia est ubique.» — Haec ille.

Tunc ad probationem antecedentis negati, dicitur primo, quod, dato casu illo, qui multis appareat impossibilis, angelus esset sub speciebus panis conversi in angelum, modo sacramentali. Nec oportet quod esset ibi diffinitive, sicut nec corpus Christi est diffinitive sub speciebus sacramenti. Unde, praesenti distinctione, ubi statim allegatum est (q. 4, art. 3, q^{la} 2), dicit sic sanctus Thomas: «Ad hoc quod aliquid sit in loco diffinitive, duo requiruntur. Primum est, ut competit ei ibi esse; quia quod non est in aliquo loco, non potest illo loco diffiniri. Secundum est, quod sit ibi sicut in loco commensurato aliquo modo sue quantitati, vel virtuti. Corpus enim bicubitale (2) non diffinitur loco unius cubiti, quamvis aliquo modo ibi sit; neque anima est diffinitive in manu, quia etiam est in aliis partibus, eo quod non est in manu secundum suam totam virtutem. Et ideo omne quod habet quantitatem finitam, vel virtutem finitam, oportet quod sit diffinitive in loco in quo est. Et ideo angeli diffinitive sunt in loco; non tamen Deus. Corpus autem Christi, quamvis secundum veritatem (6) sit sub speciebus, non tamen competit ei esse ibi ratione sui: quia nec ratione sua quantitatis, ut dictum est (art. 2), nec ratione suae virtutis, sed ratione illius quod in ipsum conversum est ibi praesistens, cuius dimensiones corporis adhuc manent, quibus ad locum illum determinabatur. Et ideo non diffinitur illo loco; sed simili modo potest esse alibi, ubiquecumque fuerint dimensiones panis conversi in ipsum.» — Haec ille. — Item, ibidem (arg. Sed Contr. 2^{ma}), arguit sic: «Omne quod potest sine sua mutatione alibi esse quam hic, non est hic diffinitive; propter hoc enim ponimus angelos moveri, quia loco diffiniuntur. Sed corpus Christi potest alicubi esse quam sub istis speciebus, sine omni mutatione sua, vel specierum; puta si alibi corpus Christi consecratur. Igitur non est hic diffinitive.» — Haec ille.

Dicitur secundo, quod, posito, sed non concesso, quod angelus esset in loco specierum diffinitive, et modo naturali, qualis potest angelo competere, non tamen oportet quod simul cum hoc esset alibi naturali modo. Quia possibile est angelum nullibi esse localiter; immo nunquam est alicubi localiter, proprio loquendo, sicut subjectum vel *ubi* vel *situs*: nec est in loco sicut in loco, per se, sed per accidens, ratione corporis ab eo assumpti, vel moti, vel aliqualiter sibi uniti aut alligati. Et ideo, casu illo, non oportet quod esset simul in duobus locis loca-

(x) *positio*. — *oppositio* Pr.

(2) Cfr. Dist. 4 hujus Quarti, q. 1, art. 3, § 4, 1, ad 300.

(6) *bicubitale*. — *cubitale* Pr.

(6) *veritatent*. — *virtutent suam* Pr.

liter; immo nec alicubi localiter, proprie loquendo, Et de hoc satis dictum est, 2. *Sentent.* (dist. 2, q. 1).

Et ista possunt sufficere ad argumenta Scotti.

III. Ad argumentum Aureoli. — Ad dicta Aureoli contra eandem conclusionem, dicitur, negando antecedens prime formae. Quia, sicut dictum fuit (ad primum eorum que secundo loco obiect Scottus), idem corpus esse in diversis locis (2) localiter, implicat contradictionem primi modi, scilicet affirmationem et negationem de eodem subiecto invicem. Sequitur enim ex hoc prima contradictione, quod idem corpus est comprehensum a loco, et idem corpus non est comprehensum ab eodem loco. Secunda est, quod idem corpus est locatum, et idem non est locatum. Et multe aliae contradictiones, superius deductae ex dictis sancti Thomae. — Cum autem dicit arguens, quod in illo casu non sequitur quod corpus idem plurificetur, sed (6) situs, etc.; — dicitur quod ex illo casu sequitur quod corpus non plurificatur, cum maneat idem in duobus locis; et, simul cum hoc, sequitur quod idem corpus plurificetur, et non maneat idem, nec unum, nec indivisum: quia, si est in hoc loco localiter, ergo nihil ejus est extra hunc locum; ergo omne quod est in alio loco localiter, est aliud ab isto corpore, et ab omni parte ejus, et non est hoc corpus, nec aliquid corporis hujus; igitur existens in secundo loco non est idem cum existente in primo loco, sed aliud; et sic sunt duo distincta corpora. Et ista sufficientia Aureolo.

Ad argumentum contra questionem, responsu est supra, in probatione secunde conclusionis, per dicta beati Thomae (4. *Sentent.*, dist. 10, q. 1, art. 1, ad 5^{am}) in forma respondentis ad illud.

Et haec de questione sufficientia. De qua benedictus Deus. Amen.

QUESTIO II.

UTRUM CORPUS CHRISTI

SIT IN EUCHARISTE SACRAMENTO, VEL CHRISTUS
TOTALITER

CONTRUM, circa decimam distinctionem, queritur: Utrum corpus Christi sit in Eucharisticie sacramento, vel Christus totaliter.

Et arguitur quod non. Quia Christus incipit esse in hoc sacramento per conversionem panis et vini. Sed manifestum est quod panis et vini non possunt converti neque in divitatem Christi, neque

(2) *diversis locis.* — *eodem loco* Pr.

(6) *sed.* — *secundum* Pr.

in ejus animam. Cum ergo Christus existat ex tribus substantiis, scilicet divinitate, anima, et corpore, videtur quod Christus non sit totus in hoc sacramento.

In oppositum arguitur. Quia dicit Ambrosius, in libro *De iis qui mysteriis initiantur* (cap. 9). *In isto sacramento totus Christus est.*

In hac questione tres erunt articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONENTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: Quod Christus est totus et totaliter in hoc sacramento, quoad omnem sui substantiam.

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 76, art. 1, dicens: « Omnino necesse est confiteri, secundum fidem catholicam, quod totus Christus sit in hoc sacramento. Scendum est tamen quod aliquid est in hoc sacramento dupliciter: uno modo, ex vi sacramenti; alio modo, ex naturali concomitantia. Ex vi quidem sacramenti est sub speciebus hujus sacramenti id in quod directe converitur substantia panis et vini praesistens, prout significatur per verba formae, que sunt effectiva in hoc sacramento, sicut et in ceteris: pula cum dicitur, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Ex naturali autem concomitantia est in hoc sacramento illud quod est realiter conjunctum ei in quod predicta conversio terminalur. Si enim aliqua duo sunt realiter conjuncta, ubicumque est unum realiter, oportet et aliud esse. Sola enim operatione animae distinguuntur que sunt realiter conjuncta. » Haec illa.

Item, q. 75, art. 6, in solutione secundi, sic dicit: « Anima est forma corporis, dans ei totum ordinem esse perfectivum, scilicet esse, et esse corporis, et esse animatum, et sic de aliis. Converitur ergo forma panis in formam corporis Christi, secundum quod dat esse corporatum, non autem secundum quod dat esse animatum tali anima. » Haec illa.

Similia ponit, presenti distinctione, q. 1, art. 2, in solutione prime questionis.

Item, dist. 11, q. 4, art. 1, q^{ta} 3, arguit sic, secundo loco: « Illud quod non mutatur in aliquid corporis Christi, oportet quod post consecrationem maneat. Sed forma substantialis panis non converitur in aliquid corporis Christi: quia, si converteretur, oportaret quod converteretur in animam, quae